









angeb. 4

Johannis Piscatoris

# RESPONSIO

AD

## APOLOGETICUM

### PETRI BERTII:

IN QUA

Orthodoxa de divina prædestinatione doctrina à sophismatis illius vindicatur & asseritur.

ROM. XI. V. 33.

*O profundas divitias tum sapientie tum cognitionis Dei!  
Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus?*



HERBORNÆ NASSOVIORUM

Ex officina typographica Christophori Corvini.


ANNO MDCXV.











# ILLUSTRIBUS ET GENEROSIS DOMINIS:

Dn. Wilhelmo-Ludovico, D. Johanni, & D. Georgio, fratribus germanis, Comitibus Nassoviis, scholæ Herbornensis patronis: dominis meis beneficis.

## ILLUSTRES ET GENEROSI DOMINI:



UONIAM Petro Bertio visum est, Apologeticum suum illustri vestro nomini inscribere: & in illa epistola à vobis obliquè petere, ut meam de prædestinatione divina doctrinam scriptis publicatam damnetis, mihiq̃ue revocationem illius imperetis: postulat res ipsa ut & ego per epistolam publicam vos alloquar, vobisque ostendam, petitionem istam Bertii

iniquam esse. Sed dicetis fortasse, petitionem hanc in illius epistola nusquam apparere: illum autem hoc tantùm petere, *ut de omni hoc negotio in utramq̃ partem cogitetis attentius.* Sanè hoc solum expressis verbis petit: veruntamen petit & alterum; sed (ut dixi) obliquè. Hoc adeò judicari potest ex illa quam affert petitionis suæ ratione: ubi petit *ut causam*



*istam inter gravissimas deliberationes vestras reponatis, vel in id  
ut patria nostra (inquit) & libertatis Christiana hostes per occa-  
sionem eorum quæ à Piscatore imprudentius de Deo ejusq; decretis  
scripta & vulgata sunt, cessent ecclesiis Christi ludibrium, bonis vi-  
ris periculum, religioni omni convitium & contumeliam creare.*  
Etenim hoc ipsum effectum dare aliter non poteritis: quàm  
si meam de prædestinatione divina doctrinam publicis scri-  
ptis editam publico item scripto damnetis, mihiq; revoca-  
tionem illius imperetis. Quamdiu enim doctrinæ illi meæ  
locus in ecclesiis Belgicis dabitur, tamdiu hostes illarum  
occasionem habebunt faciendi mala illa quæ Bertius averti  
cupit. Verùm si hæc vobis justa causa videbitur damnandi  
meam de prædestinatione divina doctrinam: pari ratione  
justum quoque videri vobis oportebit, ut damnetis doctri-  
nam in ecclesiis Evangelicis jam annos multos tradi soli-  
tam de justificatione hominis coram Deo per solam fidem  
in Christum, exclusis bonorum operum meritis: quippe ex  
hac doctrina Pontificii non minùs occasionem arripue-  
runt, & etiamnum arripiunt, Belgas huic doctrinæ addictos,  
illamque profitentes, hostiliter tanquam hæreticos inva-  
dendi. At sicut nihil morantes injustam illam occasionis ar-  
reptionem, constanter doctrinam Evangelii de justificatio-  
ne tuemini: ita etiam hanc Evangelicæ doctrinæ partem  
quæ de divina prædestinatione ex verbo Dei à me traditur,  
tueri vos, non autem damnare aut prohibere, æquum est.

*Act. 4. v. 1.  
& deinceps.*

*Item cap. 5.  
v. 27. &  
deinceps.*

*Item cap. 8.  
v. 1.*

*Item ca. 12.  
v. 1. & de-  
inceps.*

Olim in principio ecclesiæ Christianæ magistratus Hiero-  
solymitanus doctrinam apostolorum offensus, Christianos  
illam profitentes, ac in primis ipsos apostolos, hostiliter  
persequutus est: at apostoli offensione hac & persecutio-  
ne contemptâ, constanter in Evangelio prædicando perre-  
xerunt. Idem hodie quoque in asserenda doctrina Christia-  
na faciendum est sinceris doctoribus similiterque Chri-  
stianis magistratibus curandum, ut hoc illis facere liceat.  
Quæ quum ita sint: puto vos jam videre, quàm iniqua sit

Petri



Petri Bertii apud vos facta petitio: ac proinde confido, vos illi locum nequaquam duros. De petitione illâ obliquâ loquor. nam ad expressam quod attinet, ipse quoque vos rogo, ut de omni hoc negotio in utramque partem cogitatis attentius: bonâ spe fretus, vos doctrinam quam scriptis publicis de prædestinatione divina tradidi, tanquam in sacris literis fundatam approbaturus.

Cæterum antequam hinc abeam, operæ pretium esse duco vos commonefacere de hujus mei antagonistæ astu atq; calliditate. Is enim quum in sua ad vestras celsitudines epistola persuadere vobis studeat, ut mihi imperetis silentium, atque etiam in suâ ad Christianum lectorem Admonitione expressis verbis concludat, *par esse silentium mihi ab omnibus imponi*: in sua tamen epistola ad me, quam ad calcem libri sui adjecit, mihi denuntiat, *Nisi intra annum ad singula respondero, se silentium hoc meum in confessionem erroris deputaturum*. Unde vir prudens facile perspicit, eum hoc agere, ut silentio mihi imperato & à me præstito, ipse de me devicto, hoc est, de veritate cælesti oppressa, possit gloriari. Quò circumspectiores in hoc negotio Celsitudines vestras esse oportebit. Atque hoc principale epistolæ Bertii caput est, ad quod respondere coactus fui: sed sunt & alia quædam ad quæ respondere me oportet. Addit ille petitioni suæ, *se sperare, Piscatorem illustrissimæ Celsitudinis vestræ autoritate admonitum, tandem aliquando rem cum re, argumenta cum argumentis seriò comparaturum, & seposito rerum humanarum choragio eò inclinaturum, quò se trahi videt à veritate rationibus validissimis communita, & divinitus valida ad subversionem munitiorum*. Magnifica & pomposa oratio, sed vana. Quasi verò ego non jam pridem fecerim, quæ hic me facturum se sperare dicit: de seria illa argumentorum inter se comparatione loquor. nam quod addit de veritate (nempe doctrinæ oppositæ) rationibus validissimis communita, prorsus vanum est: & ego quàm futiles sint rationes quæ pro opposita doctrina



afferuntur, tum in disputatione mea adversus Schafmannum, tum in tractatu meo de gratia Dei, tum denique in Apologia mea ad Vorstium, satis liquidè ostendi. Et interim non veretur Bertius ad doctrinam illam commendandam abuti verbis apostoli quæ exstant in posteriore ad Corinthios epistola, capite decimo, versu quarto. Verùm addit Bertius alteram quoque gloriationem: scribens, *se operam dedisse ut totum istud argumentum paucis quidem, sed perspicuis & efficacibus verbis in sua ad fratres Belgas apologia ita explicaret; ut nullam mihi rimulam excipiendi relictam putet, si velim ingenuè agere.* Ad quæ ut ordine retrogrado respondeam, non habet justam dubitandi causam Bertius, quin velim agere ingenuè; ut qui ipsemet candoris laudem mihi \* tribuat. Quæ autem gloriatur de verbis suis *paucis, perspicuis & efficacibus:* ea partim vera, partim falsa sunt. Falsum est, eum uti verbis paucis: est enim plus satis verborosus. Perspicuitatem autem sermonis in plerisque ejus verbis agnosco: efficacitatem quoque, sed in persuadendo imperitis: non autem in persuadendo illis qui in sacris literis probè sunt versati, aut saltem doctrinam de divina prædestinatione inde depromptam fidei mente perceperunt. An verò aliquam rimulam excipiendi mihi reliquerit, ex mea ad ipsius apologiam responsione planum, ut spero, evadet. Atque hæc sunt, Illustres & Generosi domini: de quibus me ad vos scribere hoc tempore oportuit. Faxit Deus, ut veritas doctrinæ cælestis per hanc meam, quam cum Bertio instituere cogor, concertationem magis elucescat: ad nominis divini gloriam & Ecclesiæ Christianæ ædificationem, Amen.

\* In epistola ad Christianum lectorem. Item pag. 2.

*Vester cliens*

JOHANNES PISCATOR.

Ad



7

# Ad Christianum lectorem

## A D M O N I T I O.



**Q**UÆ Petrus Bertius in sua ad te, Christiane lector, admonitione disferit de modo disputandi, deque rectâ ratione in controversiis Theologicis judicandi: ea in suo pretio relinquo: nisi quòd infrâ suo loco de ratione judicandi aliquid admonebo. Quæ verò in doctrinæ illius generalis ad hypothefin & exemplum personæ meæ speciale accommodatione scribit, ad illa respondere cogor. *Sunt, inquit, metæ (nempe disputandi) præcipuæ quatuor; Elenchus, Falsum, Paradoxum, Nugatio: in hæc qui impingit, submovetur disputandi jure.* Et mox in singulas illas metas à me impingi, ostendere conatur. *Elenchum, inquit, committit, seq; ipse jugulat, quum quod in mea narratione culpat de virgine, contenditque pluraliter referrî debuisse, ipse postea narrat singulariter: quumque id quod se negat scripsisse, imò verò per calumniam sibi impingi queritur, ipse fatetur & δία. νοία.υ in illis ipsis verbis quæ citat contineri.* Respondeo ad prius. Inspice, Christiane lector, verba mea: & videbis, nullum hîc à me commissum elenchum. Ea sic habent, p. 164. *Narratiuncula illa de Tiberio ineptè confirmatur testimonio Suetonii. Hic enim testatur de immaturis puellis compluribus: at narratiuncula de virgine quadam certa. Item Suetonius testatur, puellas illas vitiatas à carnifice: narratiuncula verò dicit, virginem illam missam esse ad lenonem.* Ecce non ego narro singulariter de virgine, affirmando scilicet unam tantùm fuisse: sed recito quid narret Bertius. Non autem pugnant hæc inter sese: Piscator recitat quid narret Bertius de una virgine, & Piscator dicit, Bertium, quum testem citet Suetonium, debuisse de pluribus virginibus narrare. Ad posterius: Rursum inspice, lector Christiane, verba mea: & videbis, hîc quoque nullum à me elenchum commissum esse. Ea sic habent p. 165. *In disputatione mea adversus Schafmannum verba illa, ut hîc recitantur, nusquam reperiuntur. nam & addita sunt quæ illic non exstant, & omissa quæ illic expressa habentur.* Ecce non nego simpliciter, me verba illa scripsisse: sed tantùm *UT recitantur à Bertio.* Et postea in ipsa disputatione ostendam, verba illa mutilatè citata esse. Deinde non pugnant inter se hæc duo: Piscator negat se verba illa scripsisse: & Piscator fatetur δία. νοία.υ illorum verborum in verbis aliis à se scriptis contineri. Sed pergit Bertius, & plures elenchos mihi objicit. *Illud majoris, inquit, momenti est, quòd idem peccatum Adæ dicit esse necessarium & liberum: quòdque permissum ait, &*



*antecedente consilio simpliciter decretum.* Respondeo. Peccatum Adæ dico fuisse necessarium respectu decreti divini: quia Deus decreverat illud permittere: quicquid autem Deus decrevit permittere ut fiat, id non potest non fieri, ac proinde fit necessariò. Idem peccatum dico fuisse liberum: quia Adam illud admisit volens, & quod ad ipsum attinet, contingenter: quia tali naturâ fuit præditus ut potuerit non admittere. Nullus igitur hîc est elenchus, quia opposita non dicuntur ad idem. Deinde non pugnant inter se hæc duo: Deus peccatum Adæ permisit, & Deus peccatum Adæ permittere decrevit. Imò consentanea sunt, tanquam effectum & causa. Quia enim permittere decrevit, ideò etiam permisit. Pergit Bertius elenchos coacervare. *Jam illud, inquit, quale est, Voluntas Dei interdum pugnat cum præcepto: Deus linguâ per ministros Evangelii profiteatur se velle ut omnes credant, & tamen non vult ut omnes credant?* Respondeo: Utrumque hoc verum est, quia utrumque probari potest, & à me probatum est, è sacris literis. Prius sic: Deus noluit ut Abraham jugularet filium: quia jugulationem illam susceptam atque institutam impedivit. Et tamen Abrahamo præcepit, ut filium jugularet. Utrumque testatur Moses Gen. 22. Posterius sic: Deus per Christum linguâ professus est, se velle ut Galilæi omnes credant: omnibus enim promiscuè dicebat Christus, Resipiscite & credite Evangelio, Marc. 1. v. 15: & tamen noluit ut illi omnes crederent. nam si voluisset, fidem omnibus donasset: quum eam illi aliter adipisci non possent. at non omnibus donavit: quia ne fratres quidem Jesu (qui utique Galilæi erant) in eum credebant, Johan. 7. v. 5. Et incredulitatem tribus Galilææ urbibus exprobravit Christus gravissimè, Matth. 11. v. 20. & deinceps. Atque hæc de elencho, primâ secundùm Bertium disputandi metâ. De secunda meta, puta falso, sic scribit. *Falsum dicit (Piscator) quum negat à se scripta esse quæ manifestè scripsisse convincitur: quum queritur afficta sibi à me esse verba ista, UT non tantùm labi possent, sed etiam ut reipsa laberentur: quum tamen ea & ipse scripserit loco quem citavi: & ut non scripserit, contineantur & diávolav in iis quæ ipse profert locis.* Respondeo: Non sum questus, verba ista à Bertio mihi esse afficta: sed scripsi tantùm, illa in nullo istorum locorum quæ ego ex mea adversus Schafmannum disputatione protuli, reperiri, pag. 166. Et hoc verum est. Falsum igitur hîc dicit ipse Bertius. Deinde non simpliciter negavi, illa verba à me esse scripta: sed tantùm negavi, ea reperiri in locis à me recitatis. Ergo rursus falsum dicit Bertius. Pergit: *Falsum quoque dicit (Piscator) quum queritur omissam à me commemorationem finium principalium.* Respondeo: Questus sum, indicationem finium propter quos  
Deus



Deus homines condidit, in verbis quæ Bertius ex disputatione mea ad-  
 versus Schafmannum recitavit, omiffam esse: p. 166. At veram esse hanc  
 querelam meam, dilucidè apparebit, si verba mea à Bertio in præfatione  
 illa recitata conferantur cum fectione illa disputationis meæ ad versus  
 Schafmannum, unde illa exscripsit. Sed hac de re rursus erit dicendum  
 in ipsa disputatione. Atque hæc de falsis: pergit ad paradoxa. *Quàm verò  
 paradoxa, inquit, sunt ista? Deus hominem hoc consilio condidit ut re ipsa labere-  
 tur: Vidit enim, se non nisi per peccatum potuisse pervenire ad fines illos principa-  
 les? Creavit ergo hominem mutabilem, ut posset per abusum liberæ suæ voluntatis  
 peccare: atque ita ipse occasionem haberet, eos quos creaverat ad interitum, ex ju-  
 stitia damnandi & perdendi. Ex decreto Dei fuit amittenda ipsi sanctitas. Deus  
 procurat peccata. Deus opus habet peccatore. Respondeo. Nihil horum in  
 schola Christiana paradoxum est: sed si quid in illis est paradoxum, id  
 paradoxum erit iudicio tantum rationis humanæ: quæ in iudicandis  
 Dei decretis & gubernatione cæca est. Et quomodo paradoxum dici  
 potest primum illud quod ratione firmissima nititur: quam Bertius hîc  
 recitat, sed non refutat? Veruntamen quia non satis fideliter recitat,  
 verba ipsa mea proponam: ut eò magis appareat, rationem illam irrefuta-  
 bilem esse. Verba igitur mea in disputatione ad versus Schafmannum  
 fectione XXVII. sic habent: *Porro sicut permisit Deus ut primi parentes, &  
 naturales ipsorum heredes in illis laberentur omnes, atque ita reatum sibi contra-  
 herent: ita etiam permittere illud decrevit, ac volens permisit: ac proinde etiam  
 tales condidit ut labi possent: imò hoc consilio condidit ut re ipsa laberentur: quippe  
 quum non nisi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos principales: videl. pate-  
 factionem misericordie in salute aliquorum, & patefactionem justitie in interitu  
 reliquorum. Neq; enim poterat misereri nisi miserorum: neque justè damnare nisi  
 peccatores. Atque hæc de paradoxo primo. Secundum est, *Ex decreto Dei  
 fuit amittenda ipsi (homini) sanctitas. At hoc non est paradoxum in schola  
 Christiana, ubi ex verbo Dei docetur ac discitur, quicquid homini ac-  
 cidit, id ei ex decreto Dei accidere. Et quomodo præter voluntatem Dei  
 homo amisisset sanctitatem, qui sine illa ne pilum quidem capitis amit-  
 tit? teste ipso Christo Matth. 10. v. 29. & 30. Tertium absurdum, *Deus pro-  
 curat peccata. At hoc testatur verbum Dei. Ita enim scriptum legimus  
 2. Sam. 12. v. 11. & 12. ubi Nathan propheta Davidem post admissum cum  
 Bathsabea adulterium sic affatur: Sic ait Jehova, Ecce ego suscitaturus sum  
 contra te malum è domo tua: & accipiens uxores tuas ante oculos tuos tradam  
 proximo tuo: qui cubabit cum uxoribus tuis coram isto sole. Quia tu fecisti clam:  
 etiam ego factururus sum rem hanc coram toto Israële, & coram sole. Quartum****

B



absurdum, *Deus opus habet peccatore*. Respondeo: Hoc enuntiatum eo sensu quo à me prolatum est, non est paradoxum. Etsi enim Deus non habet opus peccatore simpliciter, & respectu naturæ suæ, quasi aliqua re opus habeat ad plenam beatitudinem: tamen opus habet peccatore ex hypothese decretorum suorum de hominum aliis servandis ex misericordia per remissionem peccatorum: aliis verò perdendis ex justitia per peccatorum punitionem. Atque hæc de meta disputandi tertia, paradoxo scilicet. Jam ad quartam, NUGATIONEM scilicet, quod attinet, illam mihi sic impingit Bertius. *Quid est, inquit, ἀδολεχῆν, si istud non est? Subjectum predestinationis est, homo non creatus (ut . . . , vel Adamibilis) creatus, (ut Adam) Non lapsus (ut Adam innocens) Lapsus: (ut Adam peccator.)* Respondeo: Quid verò est petulanter irridere quæ refutare non possis, si hoc non est? Verba mea quæ hîc cavillatur, & nugationis criminatur, hæc sunt, pag. 176. *Si Deus hominum alios ab eterno decrevit servare ex misericordia, alios punire ex justitia: ergo homines tum servandos, tum puniendos, consideravit & ut nondum conditos, & ut conditos integros, sed labi potentes, & denique ut lapsos. Ratio: quia nisi tribus istis mediis intervenientibus, ad fines illos pervenire non potuit. At qui verum est antecedens, ut supra est demonstratum. Verum igitur est & consequens: ac proinde homo est predestinationis objectum triplici illo modo consideratus. Ubi hîc nugatio? Nugatio est, quum idem tanquam diversum otiosè & odiosè repetitur: atque adeò quum idem per seipsum demonstratur. At istud in verbis illis meis non fit: sicut intelligens lector facilè videt. Atque hæc de quatuor disputandi metis: in quas me impigisse, falsò criminatur Bertius. Sed objicit mihi aliud quoque disputandi vitium: quòd scil. proponam problema pietati noxium, quòdque contra Deum disputem. *Quum clamet, inquit, Deus, se gratiosum esse, misericordem, longanimem, φιλάυθρον, multum benignitate: nec velle mortem peccatoris, sed velle ut convertatur ac vivat: audet ille tamen non jam ista in controversiam rapere, deque iis dubitare: sed contra definire, Deum maximam mundi partem exitio sempiterno destinasse.* Respondeo: Deum maximam hominum partem exitio sempiterno destinasse, non definio ego, sed definit sacra scriptura. Non est igitur hoc problema pietati noxium: nec contra Deum disputat, qui illud è sacra scriptura deducit. Certum est, Deum aliquos hominum ad exitium sempiternum condidisse, teste Apostolo Rom. 9. v. 22. ubi reprobos nominat *vasa ire coagmentata ad interitum*. Hinc sequitur, Deum eosdem ad exitium sempiternum prædestinasse. Jam certum est & hoc, maximam mundi partem sempiterno exitio perituram, testante id Christo, Luc. 13. v. 23. & 24. ubi narratur, quendam ex ipso quæsisse, *an pauci sint qui servantur*: ipsum verò dixisse illis qui*

ade-



aderant, *Contendite intrare per angustam portam*: quibus certè verbis innuit, paucos servatum iri, quippe quum pauci intrent per angustam portam. unde jam sequitur, majorem hominum partem æterno exitio perituram: quippe quum plerique ingrediantur per portam latam quæ abducit in exitium: quod ipsum quoque Christus affirmat Matth. 7. v. 13. Nec verò enuntiatur istud evertitur per illa quæ Bertius ei opponit. Sanè testatur Deus in verbo suo, se esse gratiosum, misericordem &c. sicut se ipse describit Exod. 34. v. 6. & 7. Sed talis est non erga omnes, nec erga majorem hominum partem: sed erga solos electos, qui numero pauciores sunt: erga reprobos autem qui maximam hominum partem constituunt, est severus iudex, qui nequaquam absolvit fontem, sed visitat iniquitatem patrum in filios, & in filios filiorum, in nepotes & in abnepotes: sicut Deus ipse in eadem sui descriptione de se pronuntiat. Nusquam autem dicit Deus in scriptura, *se non velle mortem peccatoris* (scil. ullius) *sed velle ut convertatur ac vivat*, scil. peccator quilibet, sed dicit Ezech. 33. v. 11. *Non delector morte improbi: sed delector quum revertitur improbus à via sua, ut vivat*. Ex his verbis manifestum est, sermonem hinc esse non de quolibet peccatore: quasi Deus nolit cujusquam peccatoris mortem, ac proinde nec prædestinarit ad mortem plerosque: sed de peccatore pœnitente. Sed pergit me criminari Bertius: *Præterea*, inquit, *in oppugnandis thesibus manifestè veris cur tam contentiosè litigatur?* Sed de quibus thesibus loquatur, non indicat: neque etiam locum indicat ubi ego contra istas theses contentiosè litigem. Itaque criminatio hæc nullius momenti est. Pergit autem Bertius, & objicit mihi nescio quam rixositatem, & iudicii in discernendis ipsius sententiis imbecillitatem. *Quis non intelligit*, inquit, *eum qui de religione cum aliquo conferre suas meditationes instituit, debere distinguere τὰ ἑσθλάδην ab accidentariis?* Quasi verò ego in illa mea calumniæ Bertianæ refutatione instituerim meas cum ipso conferre meditationes de religione? Imò institui refutare calumniam anonymi illius, qua is meam de prædestinatione doctrinam atrociter traducit. Sed quomodo quod hinc objicit, probat? *Cur maluit*, inquit, *Piscator oppugnare quod in ipsum leviter & strictim dictum fuerat, quàm quod in totam causam?* Et quum vellet ostendere, sententiam suam de divina prædestinatione non convenire cum Tiberianis deliberationibus, quid opus erat litem movere de numero virginum, de lenone, de carnifice? nam sive una occisa fuerit, sive plures: sive leno fuerit stuprator, sive carnifex: manet vis argumenti. Hinc primò falsum assumit, quum dicit, ea quæ ab ipso narrata sunt de numero virginum, de lenone & de carnifice, dicta fuisse in me. At in me hoc unicum in illo loco dictum est, *quod de Deo*



*ad exemplum Tiberii docere, loqui & scribere non verear.* Unde jam intelligitur, hoc quoque falsò à Bertio dici: quòd maluerim oppugnare illud de virginibus & stupratoribus dictum, quàm id quod dictum fuit in totam causam. nam quod simpliciter non oppugnavi: quomodo potest dici, quòd maluerim illud oppugnare quàm aliud. Tum falsum & hoc est, me non oppugnasse id quod dictum fuit in totam causam: nempe de Deo scriptum à me esse ad exemplum illud Tiberii: quippe hoc ex professo per totam epistolam oppugnavi. Adhæc falsum & illud est, quòd litem moverim de numero virginum, de lenone, de carnifice. Ego verò de his rebus litem nō movi; sed tantùm monui, locum Suetonii ab authore illius præfationis non rectè esse citatum ad probandum id quod ipse ibi narraverat. Ita apparet, totam hanc objectionem ex puris putis (ne dicam putidis) falsis constare. Quid quòd nec ratiocinatio Bertii hæc quicquam valet? Piscator litem movit de re quæ vim argumenti non evertit: ergo non distinxit inter *επιώδην* & accidentaria. Quasi verò fieri non possit ut quis utrumque faciat? Sed affert exemplum rixositatis meæ alterum. *Quum dixissem, inquit, sententiam illam Piscatoris, conceptam esse ad exemplum facti Tiberii: cur maluit dictum illud meum in deteriore partem rapere, quum sciret in meliorem capi posse?* Quasi verò non liceat perperam loquentem corrigere? aut quasi ego non mox sensum loquentis in medium attulerim, nempe quòd hoc dictum velit, sententiam de prædestinatione meam factò isti Tiberii similem esse? pag. 167. Pergit Bertius me criminari, & objicit, *me non abstinuisse à convitio.* at quonam illo? *Quid opus erat, inquit, narrationem meam vocare per contemptum narratiunculam? quid factum illud meum calumniam appellare, & quidem atrocem?* Respondeo. Ad prius quod attinet, narratiunculam ego appellavi narrationem illam Bertii de factò Tiberii, non per contemptum, sed propter brevitate: quæ diminutivorum nominum genuina significatio est: quam ipse quoque Cicero adhibuit: qui lib. 3. de Nat. deor. orationem quandam *Lælii aureolam oratiunculam* nominat. Quumque Bertium hîc nominum diminutivorum usus, qua ipse est eruditione præditus, haud dubiè non lateat: cur maluit igitur (ut ipsum suis ipsius verbis recriminer) dictum illud meum in deteriore partem rapere, quum sciret in meliorem capi posse? Ad posterius. Non statim convitium dicere putandus est qui factum alterius calumniam appellat. Potest enim fieri ut verè sic appellet, & justè de tali factò conqueratur. Id quod à me factum esse, confido, candidis lectoribus ex refutatione illa mea liquere. Christus dixit incredulis Judæis, *Vos ex patre diabolo estis:* quis propterea

eum

*Iohann. 6.  
v. 44.*



eum arguat quòd non abstinuerit à convitio? Pergit Bertius criminari, & objicit mihi morositatem atque *περσείαν*: id est, (ut ipse interpretatur) *offucias monstrosarum & inanium distinctionũ*, quibus ipsa rerum omnium & scientiarum notissima principia evertuntur. Ad hoc verò crimen de me probandum affert hæc: *Quorsum enim, inquit, spectant ista? (1) Idem simul est & necessarium & liberum: (2) Deus vult & noluit Adæ peccatum: (3) Duae sunt in Deo voluntates pugnantes: (4) Interdum statuendum est nobis, falsa esse vera. (5) In simili καὶ ἀναλογίαν facto peccat quidem Tiberius, sed Deus non peccat. (6) Tiberius potuit aliter, Deus non potuit.* Respondeo ad singula ordine. Primum ex his sex pronuntiatis non ita generaliter à me positum est, sed specialiter de peccato Adami: idque adhibitâ hâc distinctione: necessarium quidem illud fuisse respectu decreti divini: quia n. Deus decreverat illud permittere, & ordinare ad gloriam suam, non potuit non fieri: liberum verò respectu voluntatis Adami, quia volens illud commisit. Secundum & tertium mihi falso imputantur. Quartum si rectè declaretur, nihil habet incommodi. Quum Deus Abrahamo mandaret ut jugularet filium, debuit statuere Abrahamus, Deum velle ut id fiat: quum tamen Deus nollet ut fieret: quia impedivit, atq; etiam impedire decreverat. Quintum pronuntiatum verum est: quia etsi illic similitudo est in actionibus, tamen dissimilitudo est in actionum qualitate. Actiones enim Tiberii fuerunt malæ & injustæ, quia pugnabât cum lege Dei: actiones verò Dei bonæ, justæ & sanctæ, quia profectæ à Deo: qui naturâ suâ bonus, justus & sanctus est: ac proinde non nisi bonas, justas & sanctas actiones edere potest. Et hîc locum habet illud quod dici solet, *Duo quum faciunt idem, non est idem.* Sextum enuntiatum similiter verum est, nec quicquam incommodi habet: si ita ut à me explicatum est, intelligatur. Tiberius enim certè (ut pag. 168. à me scriptum est) *ad strangulationem virginum aliâ viâ pervenire poterat, nempe per contemptum moris patriæ: itaq; non nisi ex hypothesi aliter eò pervenire non poterat, nempe si salvum relinquere vellet morem patriæ. At Deus simpliciter non potuit ad fines suos propter quos homines condidit, aliter pervenire, quàm per peccati permissionem: idq; propter ipsam rerum necessariam inter se connexionem. Simpliciter enim impossibile est, propter contradictionis implicationem: ut vel ex misericordia servetur qui miser non est, vel ex justitia damnetur qui non est peccator.* Porò istis criminibus annectit & hoc: *Quis autem hoc ferat, inquit, Tiberius quidem sævit in innocentem: sed Deus in eos quos ipse nocentes esse voluit, quosque ipse noxæ destinavit? An non hoc est Deum pejorem facere improbissimo tyranno? At ubi ego scripsi, Deum in aliquos sævire? Scripsi, pag. 169. Deus non punit nisi no-*



entes, Ergò manifestè hîc calumniatur Bertius. Ad extremum complura istiusmodi crimina coacervat his verbis: *Qualia verò sunt ista? De non ente extra creationem potest predicari actu ens: imò & de non ente non ens: Fines ultimi plures sunt, & contrarii. Quum subjectis pluribus, imò millies millibus, additur unum predicatum; manet semper effatum unum: neque verò fiunt plura, etiam quum pluribus adduntur plura & contraria predicata.* At ubi ego ista scripsi? Demonstret hoc Bertius: aut ista se malitiosè de me confinxisse fateatur. Atque hæc sunt quæ Bertius in sua ad Christianum lectorem admonitione mihi objicit, tanquam in refutatione mea malè & contra rectam disputandi rationem posita. His subjicit sententiam suam de judicio rerum. *Quum judicium, inquit, Christiane lector, quod divinitus tibi datum est, excutere non possis, neque verò etiam debeas: quum ex judicio tuo ipse te Deus aliquando judicaturus sit: nostrarum partium videtur, illud formare & exigere ad canonem. Eum fero post rationem naturalem & veritatem divinitus tibi insculptam, Logicam apodixin: quam si ad ea quæ in scripturis legis, quæ in creaturis conspicias, quæ in temetipso sentis, placidè & cum religione adhibeas, fieri non potest ut à vero aberres. Extra te quò te ducam non habeo, nisi ad scripturas & priscam antiquitatem. Ad hanc tu cynosuram, mi lector, quæ legis dirige: certus verum non esse quod à scripturis aut primæ ecclesiæ consensu recedit.* Hîc ante omnia observandum est, Christiane lector: sermonem hoc loco esse de judicio rerum non quarumlibet, sed Theologicarum: ut in principio suæ ad te admonitionis expressè dixit Bertius. Hoc probè considerato, apparebit duo falsa criteria hîc proponi: unum internum, *Rationem naturalem*: alterum externum, *scripta doctorum ecclesiæ veteris*, quos patres nominare solemus. Ad prius quod attinet, Ratio naturalis non rectè statuitur criterium controversiarum Theologicarum, præsertim earum quæ sunt de summis illis religionis Christianæ mysteriis, puta de trinitate personarum in una essentia divina, & de divina voluntate circa hominum salutem æternam & exitium, quæ prædestinationis vocabulo significatur. Hæc mysteria, sicut & alia complura Christianæ religionis capita, longè rationis humanæ captum excedunt, ac proinde judicio rationis naturalis nequaquam subjacent. Testatur hoc Apostolus 1. Cor. 2. v. 14. ubi ait, *Animalis homo non capit ea quæ sunt spiritus Dei. Sunt enim ei stultitia: nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter judicantur.* Atque hæc de criterio falso interno. Jam ad externum, scripta scilicet patrum, quod attinet: in confesso est apud omnes orthodoxos Theologos, fidei nostræ (nempe de rebus divinis) regulam unicam esse verbum Dei sacrâ scripturâ comprehensum: de quo Apostolus Petrus ita scribit, 2. Pet. 1. v. 19. *Habemus fir-*  
*missimum*



*missimum sermonem propheticum: cui rectè facitis quòd attendatis velut lucerna  
splendenti in obscuro loco &c.* Quæ quum ita sint: scripta patrum, quippe  
quæ scripturæ sacræ atque canonicæ pars non sunt, pro cynosura verita-  
tis in controversiis Theologicis non rectè à Bertio statuuntur. Atque  
hæc de altera admonitionis Bertianæ parte admonere operæ pretium  
dixi: præsertim quum Bertius istis falsis criteriis ac inprimis priore in  
hoc suo Apologetico præcipuè nitatur.

Porro quoniam isti admonitioni subjicit syllogem quorundam  
scripturæ sacræ pronuntiatorum, quæ putat meæ de prædestinatione  
& gubernatione Dei doctrinæ adversari: ego vicissim proponam  
syllogem ejusdem scripturæ pronuntiatorum in  
quibus doctrina mea fun-  
data est.

\* \*  
\*

CER-



CERTISSIMA SCRIPTU-  
RÆ SACRÆ PRONUNTIATA: SED  
talia quibus ratio humana offen-  
ditur.

**E**Xod. 4. v. 21. Indurabo (seu obfirmabo) cor ejus. nempe Pharaonis.  
Sic cap. 7. v. 3. & cap. 14. v. 4.

Exod. 9. v. 12. Obfirmavit Jehova cor Pharaonis. Sic cap. 10. v. 1.  
20. 27. & cap. 11. v. 10. & cap. 14. v. 8. 17.

Deut. 2. v. 30. Obduravit Jehova, deus tuus, spiritum ejus (nempe  
Sihonis) & obfirmavit cor ejus &c.

1. Sam. 18. v. 9. & 10. Irruit spiritus Dei malus in Saulem, ut jacula-  
retur hastam in Davidem.

2. Sam. 12. v. 11. & 12. Nathan propheta dicebat Davidi: Sic ait Je-  
hova, Ecce ego suscitaturus sum contra te malum è domo tua: & acci-  
piens uxores tuas ante oculos tuos, tradam proximo tuo: qui cubabit  
cum uxoribus tuis coram isto sole. Quia tu fecisti clametiam ego fa-  
cturus sum rem hanc coram toto Israële, & coram sole.

2. Sam. 16. v. 10. Jehova edixit ei (Simejo) Maledic Davidi.

2. Sam. 24. v. 1. Incitavit Jehova Davidem ut numeraret populum.

1. Reg. 12. v. 15. Non auscultavit rex (Rehabeam) populo. Erat  
enim causa à Jehova &c.

1. Reg. 22. v. 23. Jehova indidit spiritum mendacii ori omnium il-  
lorum prophetarum tuorum. Ajebat propheta Michæas ad regem  
Ahabum.

Prov. 16. v. 4. Omnia (vel, omnes) operatus est Jehova, etiam im-  
probum ad diem mali.

Esa. 6. v. 10. Fac ut pinguescat cor populi istius &c.

Ezech. 14. v. 9. Propheta quum pellectus fuerit ut eloquatur ver-  
bum (scil. falsum) ego Jehova pellexero prophetam illum.

Matth. 26. v. 54. Sic oportet fieri. scil. ut capiatur Christus, & oc-  
cidatur.

Luc. 2. vers. 34. Ecce positus est iste (puerulus Jesus) in CASUM  
& resurrectionem multorum in Israële, & in SIGNUM cui contradi-  
catur.

Johan. 12. v. 33. & seqq. Quum tot signa coram eis (scil. Judæis) edi-  
disset



diffet (nempe Jesus) non credebant in eum: ut sermo Esaiæ prophetae impleretur &c. Et paulò post: PROPTEREA non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excavavit oculos eorum &c.

Act. 2. v. 23. ait Petrus ad Judæos: Hunc (Jesum) definito consilio & antedecreto (προγνώσει) Dei deditum quum accepissetis, manibus sceleratorum cruci affixum interemistis.

Act. 4. v. 27. & 28. agebat in precibus suis ecclesia Hierosolymitana, Congregati sunt verè adversus sanctum puerum tuum Jesum Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël, ut facerent quæcunque manus tua & consilium prius definierat facienda.

Rom. 9. v. 18. Quem vult, indurat.

Et vers. 21. Annon habet potestatem figulus in lutum ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Et versu 22. Quid si verò volens (Deus) ostendere iram & notam facere potentiam suam pertulit multa lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum?

I. Pet. 2. v. 8. Qui offendunt ad sermonem immorigeri: ad quod etiam positi fuerunt.

In epist. Judæ versu 4. Subreperunt quidam homines, prius jam olim descripti ad hoc iudicium.

Præter pronuntiata sacrae scripturae, quæ tantum sex affert Bertius: recitat etiam dicta quædam ex libris apocryphis, & ex libris scriptorum ecclesiasticorum quos patres vocamus. Sed quoniam talia non habent vim probandi dogma Theologicum: non habeo necesse ut pro mea sententia talia in medium afferam.

Ad pronuntiata verò sacrae scripturae ab eo allata quod attinet: genuinum eorum sensum indicabo: unde facilè lectori intelligenti apparebit, illa doctrinae meae de prædestinatione nequaquam adversari.

I. Pronuntiatum primum prænotatur his verbis, Deut. v. 19. ubi omiffa est indicatio capituli. Exstat autem illud pronuntiatum Deut. 5. Sed non habetur v. 19. verum 29. secundum distinctionem veterem: quam tamen Bertius hinc non sequitur: versu autem 35. secundum distinctionem novam Tremellii & Junii, quam Bertius hinc retinuit. Pronuntiatum ita sonat, *O si esset hic eorum animus ad timendum me & observandum omnia præcepta mea omnibus diebus, ut benè esset eis & filiis eorum in seculum!* His verbis per ἀνθρώπων παθείαν optat Deus ut Israëlita ipsum timeant & observent præcepta ejus: ut habeat causam illis propter illam obedientiam benefaciendi. At hinc non sequitur, Israëlitas viribus liberi arbitrii

C



potuisse obedientiam illam præstare: aut Deum voluisse illis omnibus vires ad illam præstandam suggerere.

2. Secundum pronuntiatum prænotatur hoc titulo, *Psal. v. 5.* ubi omissus est numerus Psalmi: est autem is Psalmus quintus. Pronuntiatum recitatur his verbis, *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Hic quærere aliquis posset, cur Bertius hic non æquè ut in pronuntiato præcedente, sequutus sit versionem Tremellii & Junii: sed pro illa substituerit veterem? Causa videtur hæc esse, quòd illa non serviebat ejus proposito: quod haud dubiè est, Deum nullo modo velle iniquitatem hominis. At versio Tremellii & Junii ex Hebræo expressa, sic habet, *Non es Deus qui delectetur improbitate.* Etsi autem Deus non delectetur iniquitate: id tamen non obstat quòd minus voluerit peccatum Adæ, quatenus voluit illud permittere & procurare. Sicut nihil impedit quòd minus ægrotus, etiamsi non delectetur potu amaro: tamen permittat atque etiam procuret ut is sibi ad bibendum paretur valetudinis recuperandæ causâ.

3. Tertium pronuntiatum affertur ex *Psal. x. v. 5.* his verbis, *Eum qui diligit iniquitatem, odit anima Domini.* Psalmus apud Hebræos est XI. Per hoc autem pronuntiatum non evertitur illud *Rom. 9. v. 11. & 13.* quòd Deus Esavum odio habuerit, etiam antequam quicquam mali fecisset.

4. Quartum pronuntiatum affertur ex *Jerem. xix.* Habetur autem versu 5. *Ædificaverunt excelsa Bahalim, quæ nec præcepi &c.* Quam speciem repugantiæ istud pronuntiatum habeat comparatum cum mea de prædestinatione doctrina, fateor me non videre. Neque enim ego usquam doceo, Deum præcepisse idololatriam.

5. Quintum pronuntiatum adducit ex *Ezech. xviii. v. 31. & xxxiii. v. 2.* *Quare moreremini, o domus Israël? Non enim delector morte morientis: avertite itaque vos & vivite.* Hic observandum, sermonem ibi esse de morte corporis: ut percipitur ex *v. 13. capitis 18.* atque adeò ex totius illius sermonis scopo qui significatur versu 2. Hic autem quæstio agitur de morte æterna. Quare istud pronuntiatum *ε' δευ' ωθ' ενθ'.*

6. Sextum pronuntiatum affertur ex *1. Timoth. 2. vers. 4.* his verbis, *Deus omnes homines vult salvari, & ad agnitionem veritatis venire.* At illic per OMNES non intelliguntur singuli, sed omnis generis: puta tum nobiles, tum plebei: ut percipitur ex peristasi textus, vers. 1. & 2. Neq; enim pugnat Paulus secum ipse, qui *Rom. 9. v. 21. & 23.* tradit, Deum aliquos condidisse ad dedecus & interitum.

JOHAN.



JOHAN. PISCATORIS  
RESPONSIO

ad Apologeticum Petri Bertii.



**O**MISSIS brevitatis studio iis quæ P. Bertius in sua ad vos, honorandi fratres Belgæ, apologiâ de persona mea partim in laudem, partim in vituperium præfatur: dum nunc candorem, & quidem singularem, mihi tribuit: nunc irritabilem me esse criminatur: rectâ ad causam quæ inter nos agitur, accedam. Verum enim verò quia ille non solum calumniæ crimen à se amoliri conatur; sed dum hoc agit, interim & verba mea & sententias variè reprehendit: cogor ad illa singula prout se in ejus apologia offerent, respondere. Distinguem autem illa numeris, perspicuitatis causâ.

a Pag. 2.

b Pag. 4.

Primum igitur Refutationem meam aggressurus, proponit sibi ad considerandum hæc mea verba,

*Hanc dico esse calumniam, eamque atrocem, doctrinæ meæ impactam.* Pag. 5.

In hac sententia initio cavillatur verba illa, *Doctrinæ meæ. Quod ille doctrinam istam (inquit) SVAM vocat, meritò id facit. Verè enim ipsius est: neque post homines natos exstitit unus quisquam, qui hæc omnia ita apertè diceret.*

En calumniam veterè diluturus, novâ me aspergit: dum ex eo quod doctrinam in illo quem in præfatione istius libri recitat loco à me traditam, criminatur meam esse propriam, ac proinde à me excogitatam. Quis enim candidus lector non intelligit, me doctrinam illam appellare meam, non quòd sit à me inventa, sed quòd sit in scriptis meis à me proposita? Quo sensu ipse quoque Christus hoc vocabulo usus est, quum diceret: *Doctrina MEA non est mea: sed ejus qui misit me, Johan. 7. v. 15.* Item apostolus Paulus, quum scribit Rom. 2. v. 16. *Deus judicabit de occultis hominum ex Evangelio MEO.* Similiter ego verè dicere possum, *Doctrina de prædestinatione mea non est mea, sed Dei qui illam in sacris literis tradidit.* Attamen videtur sibi probare, me illius doctrinæ authorem esse: quia post homines natos non exstiterit unus quisquam qui hæc omnia ita apertè diceret. At primùm exstitit D. Beza, qui hæc omnia quæ in loco illo meo continentur, æquè apertè dixit. Legatur in illius Summa totius Christianismi caput tertium: & comperietur me verum dicere. Legatur etiam



Calvinus Inst. lib. 3. cap. 21. & Zanchius de natura Dei lib. 5. ca. 2. & comperietur, illos eandem quam ego in scriptis meis de prædestinatione doctrinam tradidi, tradidisse. Deinde dum ait Bertius, neminem ante me dixisse hæc omnia: hoc ipso fatetur, aliquos dixisse ex illis quædam. quare non potest me solum (ut facit) doctrinæ illius authorem simpliciter statuere. Ad hæc dum ait, neminem existisse qui hæc quæ ego dico, ita diceret aperte: hoc ipso fatetur, aliquos eadem dixisse, sed tectè. Hoc igitur argumento frustra ostendere conatur, me esse illius doctrinæ authorem, non autem alios ante me doctrinam eandem tradidisse: quum diversus docendi modus ipsi substantiæ (ut ita loquar) doctrinæ nihil derogat.

Pag. ead.

Secundo loco conatur ostendere Bertius, non esse calumniam, quòd sententiam meam de lapsu hominum à se in præfatione illa recitatam cum facto Tiberii tanquam similem comparavit. *Calumniam*, inquit, *dicimus, quam bono operi mali facinoris nomen adseribitur: præsertim ubi specie blandiente, internæ malitiæ virus occultatur.* Et in margine significat, definitionis hujus authorem esse Hilarium. Equidem admitto hanc definitionem: dum modo verba illa postrema, *præsertim ubi &c.* non habeantur pro ejus parte: sed pro appendice, quo summus calumniæ gradus indicatur: nam certè in scribis & Phariseis nulla species blandiens apparuit, quum miracula Christi adscriberent Beelzebubo, principi demoniorum: & nihil ominis id facientes calumniati sunt, & quidem atrocissimè. Nunc ergò videamus, quomodo Bertius ex illa definitione disputet. *Ecquod autem*, inquit, *hic bonum est opus Piscatoris?* Respondeo, Sententia in verbo Dei fundata. *Quod ipsi facinus à me adfectum est?* Respondeo: Hoc nimirum, quòd doceam, Deum egisse crudeliter, quum condidit homines ut laberentur. Pergit, *Quod virus occultavi?* At cur omittit dicere, *Qua specie blandiente usus sum?* Nam ista quoque particula in definitione proposita continetur. At ego jam monui & demonstravi: appendicem illam non esse definitionis calumniæ partem. Itaque sive duo illa in Bertio reperiantur, sive non: è duobus prioribus è quibus calumnia perfectè definitur, expedire se non poterit. Sanè si de specie blandiente quæstionem proposuisset, facilis mihi fuisset responsio. Blandientis enim speciem habent illa ejus verba, *Ignosce, à bone Christe, ecclesiæ tuæ doctoribus &c.*

Pag. ead.

Tertio loco recitat Bertius hæc mea verba, *Antequam illud demonstrarem, de duobus monere operæ pretium puto.* Tum dicit, *me petere diludia & evagari.* At duo illa monita mea nihil habent diludii, nihil evagationis.

Mo-



Monent enim de rebus quæ in ipsis Bertii verbis continentur: puta de citatione loci Suetoniani, & de significatione pietatis atque charitatis.

Quarto loco recitat monitum meum primum, quod constat his Pag. ead. verbis: *Unum est, quod narratiuncula illa de Tiberio ineptè confirmatur testimonio Suetonii. Hic enim testatur de immaturis puellis compluribus: at narratiuncula est de virgine quadam certa.* Tum sic contrà disputat. *Atqui hoc, inquit, est κὺμ:νον πλεῖν. Quis enim nescit, ubi plures sunt, ibi unum quoque aliquem esse: & quæ de pluribus narrantur distributivè, ea de singulis verè dici posse?* Atqui de ipso numero virginum illarum non agitur inter nos quæstio: sed de allegatione Suetonii. Bertius narrat, Tiberium virginem quandam strangulari voluisse: Suetonius narrat, VIRGINES illius jussu strangulatas esse. At diversa sunt, *virgo quadam & virgines.* Testimonio autem debet probari id ipsum de quo est quæstio, non autem diversum quidpiam. Pergit: *Quid si verò negem ego, me de virgine quadam CERTA id referre?* Respondeo: Etsi vocabulo illo non est usus, tamen dixit virginem QUANDAM: qua voce id ipsum apud Latinos significatur, quod ego per pleonasmum & idiotismum Gallicum expressius significare volui adjectâ voce CERTA. At contra hoc excipit Bertius: *Dicere virginem QUANDAM, inquit, est instar vagi alicujus individui.* Sed non animadvertit, se hîc confundere diversa. Etenim vagum individuum apud Latinos non significatur voce QUIDAM, sed voce ALIQUIS. Voce autem *quidam* significatur persona certa, sed cujus nomen reticetur. Postea ad pleniorum sui defensionem affert loca ex Dione & Tacito: qui narrant, Tiberium Pag. 6. jussisse filiam Sejani strangulari, & priùs constuprari. Sed quid hoc ad rem? Non quæritur, quid narrent de illo Tiberii facto Dion & Tacitus: sed quid narret Suetonius. Postremò me meo ipsius gladio jugulare conatur, dum recitat verba mea, ubi scripsi, *Tiberius mandavit strangulari VIRGINEM innocentem.* En ipsemet nomino virginem numero singulari: atque ita fateor verum esse quod Bertius de virgine narravit. Sed hoc nihil eum juvat. Non enim dixi ego, narrationem Bertii falsam esse: sed negavi, ad illam confirmandam rectè ab ipso allegari Suetonium. Et hîc ex hypothese narrationis Bertianæ loquutus sum: quum ad propositum nostrum nihil intersit, sive in unam aliquam virginem innocentem, sive in plures virgines innocentes tyrannidem illam suam Tiberius exercuerit.

Quinto loco me reprehendit Bertius, quòd relationem ejus hi- Pag. ead. storiam per contemptum narratiunculam vocem. Sed hanc reprehensionem jam dilui in admonitione ad Christianum lectorem.



Ibidem.

Sexto loco recitat hæc mea verba, *Item Suetonius testatur, puellas illas vitiatas à carnifice: narratiuncula verò dicit, virginem illam missam esse ad lenonem.* Contra hanc reprehensionis partem sic se defendit Bertius: *Quasi multum nostra inter sit, vitiatæ ne fuerint à lenone, an à carnifice? quid si verò ipse tum carnifex leno fuerit, aut leno aliquis carnifex? &c.* Rursum à quæstione deflectit Bertius. neque enim quæstionem movi de narrationis veritate, sive Bertianæ, sive Suetonianæ: sed de allegatione narrationis Suetonianæ ad probandum narrationem Bertianam. Quare frustra hîc disputat, fieri potuisse ut idem esset leno & carnifex. Hoc enim concessio, verum interim manet, Suetonii narrationem non facere mentionem lenonis, sed carnificis.

Pag. 7.

Septimo loco recitat hæc mea verba, *Alterum est, quòd autor istius epistolæ præ se fert singularem affectum pietatis: dum sermone ad Christum converso, cum exclamatione eum orat, ut talia qualia subjicit, docentibus ignoscat. Nempe exhibere voluit argumentum & pietatis suæ erga Deum, & charitatis erga proximum. Sed huic instituto res ipsa adversatur. Qui enim verè pius est & proximum verè diligit, is à calumnia, ac præsertim tam atroci, abstinet.* Contra hanc reprehensionem sic se defendit: *Nimirum huc res redit, ut qui Piscatoris in capite de divina predestinatione sententiam cum deliberatione & factò Tiberii conferre audeat, & ex unius indignitate alterius indignitatem ostendere, deinceps nec Deum verè colere, nec proximum verè diligere existimandus sit.* Et paucis interjectis, *Ego quia cum ipso non sentio, imò quia aperte quod res est eloquor, sine cujusquam insectatione, video me pietate verè & charitate, hoc est, toto celo exclusum.* At quid est sophisticari, si hoc non est? Ego pietatis & charitatis larvam detraxi factò Bertii speciali, nempe exclamationi illi ad Christum institutæ: ille verò conqueritur, me detrahere ei pietatem & charitatem omnem. Quasi verò fieri non possit, ut qui in una aliqua actione nec pietatem nec charitatem exercet, sed potiùs in utramq; peccat, is tamen in aliis suis actionibus utramque exercent? quum in confesso apud orthodoxos sit, regenerationem nostram esse imperfectam? Deinde falsam causam commemorat Bertius, cur ei pietatis & charitatis laudem in illa exclamatione ademerim: nempe *quia mecum non sentiat.* At causam aliam ego indicavi, nempe *quòd à calumnia, præsertim tam atroci, non abstinerit.* Quòd autem ad conscientia suæ testimonium tandem provocat, *se fraterno atque illimi affectu dixisse & adhuc dicere, Ignosce, ô bone Jesu, ecclesie tuæ doctoribus, qui sub zelo religionis ea de Deo dicere, loqui, scribere non verentur, quæ vix in Tiberium aliquem, hoc est, immanissimum tyrannum cadunt: per hoc à crimine calumniae se nondum purgat: quia quocunque affectu*

affectu



affectu hoc dicat, bono operi (ut Hilarii verba repetam) mali facinoris nomen adscribit: dum quæ ego de creatione hominum scripsi verbo Dei consentanea, illa Deo tyrannidem attribuere affirmat.

Octavo loco recitat hæc mea verba, *Calumnia ista partim in verborum meorum recitatione, partim ac præcipuè in ipsius sententiæ ad exemplum narratum accommodatione consistit.* Item ista, *In disputatione mea adversus Schafmannum verba illa, ut hîc recitantur, nusquam reperiuntur. Nam & addita sunt quæ illic non exstant, & omissa quæ illic expressa habentur. Quod ut appareat, recitabo quicquid huc pertinens illic reperire potui. Reperi autem tria omnino loca.* Ad hæc ita respondet Bertius: *Negat ergo, illa quæ à me citantur, uspiam dicta, scripta, edita à se esse. Dicit se recitare quicquid huc pertinens in eo libro reperire potuit: & post frustra in sumtum in investigando laborem loco unius periodi quam ego cito, profert ipse tria alia loca à se descripta.* Postea periodum illam recitat è sectione **XXVII.** disputationis meæ adversus Schafmannum, his verbis: *Porro sicut permisit Deus ut primi parentes, & naturales ipsorum hæredes in illis, laborarent omnes, atque ita reatum sibi contraherent: ita etiam permittere illud decrevit, ac volens permisit: ac proinde etiam T A L E S CONDIDIT UT LABI POSSENT: IMO HOC CONSILIO CONDIDIT, UT REIPSA LABRENTUR. QUIPPE QUUM NON NISI HAC RATIONE PERVENIRE POTUERIT AD FINES ILLOS PRINCIPALES: videlicet patefactionem misericordiæ in salute aliquorum, & patefactionem justitiæ in interitu reliquorum. Neque enim poterat misereri nisi miserorum: neque justè damnare nisi peccatores.* Respondeo: Primùm non ego simpliciter nego, illa quæ à Bertio ex mea adversus Schafmannum disputatione citantur, uspiam à me dicta, scripta, edita esse: sed nego illa in ista disputatione uspiam reperiri, UT HIC (nempe in præfatione illa Bertii) RECITANTUR. Et hoc declaro, subjungens: *Nam & addita sunt, quæ illic non exstant, & omissa quæ illic expressa habentur.* Et certè quod de omissis conqueror: probo testimonio inspectionis oculorum. Inspiciat enim aliquis verba ut citantur in præfatione, & ut habentur in loco unde citantur, atque adè ut habentur in hoc ipso loco Apologiæ Bertii: & videbit, omissa esse illa verba, *Videlicet patefactionem misericordiæ, & quæ sequuntur.* At illorum verborum omissio ad calumniam pertinet: quia illis continetur præcedentis enuntiati (quod Bertius tanquam falsum & impium allegat) tum declaratio, tum demonstratio: quæ si addantur, apparet, enuntiatum illud & verum & pium esse. Quod autem dixi, me ex disputatione mea adversus Schafmannum recitaturum quicquid huc pertinens reperire possim: verè dixi & reipsa præstiti: sed interim dum ni-

Pag. 8.

Pag. 9.

Pag. 10.



mium festinarem, locus ille quem citavit Bertius, oculos meos effugit. In quem si incidissem, non fuisset opus plures investigare: quum ille ipse, ut paulo antè ostendi, non sit fideliter, sed mutilatè, à Bertio recitatus. Quare tantum abest, ut plenà illius recitatione in ista Apologia à calumniæ crimine se liberarit, ut potiùs se illius reum esse demonstrarit.

Quòd autem hìc per digressionem monet, hæc ita scripta & vulgata esse Herbornæ eo tempore quo in Academia Leidensi vigeant adhuc Franciscus Junius, Lucas Trelocatius, Franciscus Gomarus: Heidelbergæ Daniel Tossanus, David Pareus, aliique: & tamen neminem illorum vel tunc temporis, vel ex eo sententia isti sese opposuisse: quid aliud facit quàm quòd innuit, illos silentio suo sententiam illam meam approbasse? nam si improbassent; officium eorum postulabat ut saltem privatim me de illa sua improbatione admonerent. At tantum abest ut istud à quoquam illorum factum sit, ut è contrario Doctor Tossanus totam illam meam adversus Schafmannum disputationem per epistolam ad me scriptam approbarit. Epistola illa scripta est Heidelbergæ 17. Septembr. anno Domini 1595. Approbatio verò concepta est his verbis, *Non dubito, quin multis, præsertim in tractu illo Westphalico, rem per gratam feceris, vir clarissime: quòd illi Schafmanno, aut potiùs Lycanthropo, qui gloriam maledicendo quaesivit, perspicuè & artificiosè respondisti: quo nomine ego privatim tibi gratias ago.* Porrò quum hæc ita se habeant: ubi nunc manet prima illa Bertii in ista Apologia criminatio doctrinæ meæ de prædestinatione: quòd verè sit mea, id est, mea propria, cuius socium aut ad stipulatorem habeam neminem; quum ipse nunc Theologos superioris seculi celeberrimos doctrinæ illi ad stipulatos esse fateatur? Postea affert Bertius alia quoque ex illa mea adversus Schafmannum disputatione loca, ad probandum me docere, *Deum primos parentes creasse ut laberentur.* Quasi verò ego illud negaverim, ac non potiùs professus sim: quum scripsi, *illa verba in nullo istorum trium locorum quæ recitavi reperiri: et si non negem, sententiam hanc in illis contineri.*

Pag. 11. &  
12.  
Pag. refut.  
166.

Pag. 11.

Nono loco contra hanc ipsam sententiam disputat Bertius his verbis: *Non sunt ergò à σὺς ατὰ Piscatori, creare hominem ut labatur, & creare eundem ut salvetur, quasi sit aliquis lapsus non ad exitium, sed ad salutem: & quasi lapsus aliquis saluti per se possit esse subordinatus.* Respondeo: Ita est ut hìc autumat Bertius, ut illa absurda ei videantur. Certè subordinata non sunt à σὺς ατὰ, sed consentanea. At creatio omnium hominum ad lapsum, & creatio quorundam ex illis ad salutem ex misericordia & remissione peccati consequendam, subordinata sunt, ut mediū & finis: quum ad talem salvationem sine interventu lapsus & peccati nō potuerit per-

veni-



veniri. Unde jam planum evadit, quendam lapsum, nempe lapsum salvandorum, non fuisse ad exitium, sed ad salutem: non quidem ex natura aut merito ipsius lapsus: sed ex ordinatione illius divina ad exercendum in illis lapsis misericordiam per peccati remissionem. Quòd autem negat Bertius, aliquem lapsum saluti subordinatum esse posse *PER SE*: concedo, si hoc intelligatur de natura ipsius lapsus. Peccatum enim omne suâ naturâ non meretur ordinari ad salutem, sed ad exitium. Si verò intelligatur de ipsa ordinatione Dei, fatendum est, lapsum salvandorum ad salutem ordinatum esse *PER SE*, & *NON PER ACCIDENS*. Deo enim ordinanti nihil præter ejus propositum accidere potest: sed sicut per se & sapiente consilio statuit finem, ita per se & sapiente consilio ordinat media fini congrua.

Sed contra hanc responsionem sic excipit Bertius: *Ego verò, inquit, Pag. ead. non intelligo, quomodo plures summi fines, iiq; disparati, in rerum natura esse possint: aut quomodo quæ uni fini propriè serviunt, possint alteri illi opposito fini esse subordinata.* Consideret igitur, ut veri intelligentiam adipiscatur, quid doceat Apostolus Rom. 9. v. 22. & 23. de vasis iræ & vasis misericordiæ: quòd scil. *Deus velit ostendere iram quidem in vasis iræ, misericordiam verò erga vasa misericordiæ.* Hic certè duo fines summi sunt, sed circa diversa objecta: nempe ostensio justitiæ vindicatricis in reprobis, & ostensio misericordiæ salvantis in electis. Si quis excipiat, finem summum actionum divinarum esse unicum, nempe gloriam ejus: id verum est generaliter intellectum: at interim diversa est gloria justitiæ à gloria misericordiæ: quarum illa summus actionum Dei finis est circa reprobos, ista verò circa electos. Quòd autem dicit, quæ uni fini *PROPRIÈ* serviunt, non posse alteri opposito fini esse subordinata, verè dicit: sed tacitè falsum assumit, quasi scil. lapsus propriè serviat exitio. At ille servit etiam saluti, nempe saluti tali qualem sacra scriptura docet, quæ scil. posita est in misericorde remissione peccatorum. Hæc enim locum non haberet, nisi lapsus intervenisset.

At contra id, quod dixi, Deum nihil ordinare *PER ACCIDENS*: ita excipit Bertius: *Qui omnia ponit fieri per se, ex causa æterna ωενηγεμένως Ibid. ita dirigente atque ordinante, imò verò & in tempore procurante: non potest concipere quicquam evenire ex accidente. Quo posito, fieri non potest, quin magna consequatur rerum confusio, & monstri admodum errores introducantur: quorum præcipuus hic est, quòd tunc omnis mali natura tollitur. Nam sicut bonum est ex mente ordinantis Dei, ita malum est præter ipsius intentionem: nisi ad Cerdonem, Marcionem & Manicheos velimus redire: aut dicere, ipsum quoque ma-*

D



lum bonum esse, quia primò ordinatū est. Sed necesse est rationem omnem, omnesq; disciplinas, artes, fidem ipsam, naturam Dei, cum sacra scriptura & Spiritu sancto seponat, qui istis adstipulaturus sit: sunt enim adversa rationi, adversa disciplinis, artibus, fidei, naturæ Dei, scripturis, & spiritui adoptionis nostræ. Respondeo. Imò potest fieri ut aliquis & ponat, omnia fieri per se, respectu Dei ordinantis: quippe cui nihil, propter perfectam ejus sapientiam & potentiam, vel præter opinionem, vel præter propositum accidere potest: & tamen concipiat, multa evenire hominibus ex accidente, nempe vel præter opinionem, vel præter propositum ipsorum. Hoc autem posito: (quod quia verum est, poni omnino debet) non est quod metuemus consequutura absurda illa quæ benè multa Bertius hoc loco coacervat. Ac primùm etsi Deus ordinat & dirigit mala: per hoc tamen mali natura non tollitur. Natura enim rei non est æstimanda ex eo quod extrinsecus ei accidit: sed ex intima ejus essentia. Et ita peccatum est res mala, quia adversatur bono & sancto mandato Dei. Deinde falsum est, malum esse præter Dei intentionem. Etsi enim Deus non intendit malum ipse facere (de malo culpæ loquor) tamen intendit illud permittere, imò ad bonum dirigere: ut testantur exempla sacrae scripturæ de Absalomo stuprante uxores concubinas Davidis: item de maledictis Simeii conjectis in Davidem: item de spiritu mendacii in ore prophetarum Ahabi. Quod si malum Deo accidit præter ipsius intentionem: sequetur, Deum non esse omnipotentem, quippe qui non possit effectum dare id quod intendit bonum: sed præter suum propositum ac volūtatem cogatur permittere malum. Porrò sententia hæc cum hæresi Cerdonis, Marcionis & Manichæorum nihil commune habet: ut cognosci potest ex iis quæ de illis narrat Eusebius Histor. Ecclesiast. lib. 4. cap. 11. & lib. 7. cap. 30. Item Augustinus de Hæresib. ca. 21. & 22. & 46. Nec verò malum ideo bonum dicendum est, quia ab æterno à Deo ordinatum est. nam, ut paulò antè dixi, res è sua natura, non autem ex eo quod illis accidit, æstimandæ sunt. Neque sententia illa de ordinatione peccati adversatur rationi: quia ratio capere potest, unam & eandem rem fieri & per se & per accidens, sed respectu diversorum agentium. Nec adversatur disciplinis & artibus: quia nulla disciplina, nulla ars tradit, impossibile esse ut una & eadem res diversorum agentium respectu fiat & per se & per accidens. Nec adversatur fidei: quum fides amplectatur quicquid docet verbum Dei: illud autem docet utrumque; & Deum omnipotentem sapientemque esse, ac proinde nihil ei præter intentionem accidere: & homini accidisse ut liberè peccatum admitteret. Nec adversatur naturæ Dei: imò naturæ Dei omni-

2. Sam. 12.

v. 11. & 12.

2. Sam. 16.

v. 10.

1. Reg. 22.

v. 23.

ad bonum dirigere: ut testantur exempla sacrae scripturæ de Absalomo stuprante uxores concubinas Davidis: item de maledictis Simeii conjectis in Davidem: item de spiritu mendacii in ore prophetarum Ahabi. Quod si malum Deo accidit præter ipsius intentionem: sequetur, Deum non esse omnipotentem, quippe qui non possit effectum dare id quod intendit bonum: sed præter suum propositum ac volūtatem cogatur permittere malum. Porrò sententia hæc cum hæresi Cerdonis, Marcionis & Manichæorum nihil commune habet: ut cognosci potest ex iis quæ de illis narrat Eusebius Histor. Ecclesiast. lib. 4. cap. 11. & lib. 7. cap. 30. Item Augustinus de Hæresib. ca. 21. & 22. & 46. Nec verò malum ideo bonum dicendum est, quia ab æterno à Deo ordinatum est. nam, ut paulò antè dixi, res è sua natura, non autem ex eo quod illis accidit, æstimandæ sunt. Neque sententia illa de ordinatione peccati adversatur rationi: quia ratio capere potest, unam & eandem rem fieri & per se & per accidens, sed respectu diversorum agentium. Nec adversatur disciplinis & artibus: quia nulla disciplina, nulla ars tradit, impossibile esse ut una & eadem res diversorum agentium respectu fiat & per se & per accidens. Nec adversatur fidei: quum fides amplectatur quicquid docet verbum Dei: illud autem docet utrumque; & Deum omnipotentem sapientemque esse, ac proinde nihil ei præter intentionem accidere: & homini accidisse ut liberè peccatum admitteret. Nec adversatur naturæ Dei: imò naturæ Dei omni-

mnipo-



mnipotenti sapientique maximè congruit. Nec adversatur scripturis: scripturæ enim (ut modò ostendi) de ordinatione Dei circa peccatū ita docent. Deniq; non adversatur spiritui adoptionis nostræ. Spiritus enim ille nihil aliud testatur, quàm Deum nos indignos, & peccatis nostris exitium æternum commeritos, ex mera gratia, peccatis condonatis, in filios sibi adoptasse, quib. hæreditatem illam cælestem suo tempore daturus sit: interim verò non negat, Deum lapsum nostrum ad salutem nostram ordinasse.

Decimo loco redit Bertius ad purgationem sui à calumnia, sic porrò scribens: *Quidnam est illud quod per calumniam sibi impingi queritur?* Pag. 12. *Hoc scilicet, CONDITOS A DEO HOMINES HOC CONSILIO UT RE-IPSA LABERENTUR. Quid autē ille in sua ad vos epistola? Æ in nullo, inquit, istorum locorum reperiuntur hæc verba, UT non tantum labi possent, sed etiam ut reipsa laberentur: etsi non nego sententiam hanc in illis contineri. Respondeo: Hæc tantum pars est querelæ meæ, nempe de additione verborum, quæ in locis à me inquisitis & repertis non exstant: qua in re fateor me ex festinatione deceptum esse, prætereundo illam sectionem ubi verba illa exstant. At interim manet pars querelæ altera, quæ est de verborum quorundam subtractione. Quam subtractionem in loco quem Bertius citavit, sophisticam & calumniosam esse, jam supra ostendi. Manet & tertia, quam ego præcipuam esse scripsi: quæ posita est in sententiæ meæ ad exemplum Tiberii accommodatione.*

Sed contra hanc instituet Bertius apologiam in disputationis progressu. Hoc autem loco pergens in instituto suo, probare instituit, *me* Pag. 13. *non tantum dicere, sed etiam dicere debuisse, Homines à Deo conditos esse hoc consilio ut reipsa laberentur: neque evadere potuisse, quin istud dicerem, nisi mea ipse principia eversum atque oppugnatum irem. At hoc labore superfedere poterat Bertius, quum ego istud nusquam negaverim. Sed quoniam ille syllogismo quem hîc affert, me valde urgere atque premere & in angustias redigere sibi videtur: quasi nesciam quò me vertam in illo solvendo: oportet me ad illum respondere. Syllogismus ita habet:*

*Qui opus habet peccatore ad suam gloriam, is debuit creare hominem eo consilio ut laberetur.*

*Deus opus habuit peccatore ad suam gloriam, secundum Piscatorem.*

*Ergo Deus debuit creare hominem eo consilio ut laberetur.*

Tum subjungit: *Hîc velim mihi ingenuè & suo more respondeat Piscator. Quicquid enim istorum attigerit, ulcus est.* Respondeo: Ne canat Bertius tri-



umphum ante victoriam. Syllogismus iste multis vitiis laborat: itaque non est quod verear ulcus fore quicquid istorum attigero. Primum aberratur à quæstione. Instituit probare Bertius, *me dicere debuisse, Homines à Deo conditos esse hoc consilio ut re ipsa laborarentur*: at syllogismus concludit, *Deum debuisse creare hominem eo consilio ut laboretur*. Deinde propositio syllogismi si intelligatur universaliter, est falsa: si particulariter, parit. *ασυλλογισία*. Prius probō: quia non quicumque opus habet peccatore ad suam gloriam, is debuit creare hominem. Etenim fieri potest ut rex aliquis opus habeat proditore ad consequendum de hoste victoriam, atque ita ad suam gloriam; & tamen nullus rex debuit creare hominem. Probo & posterius: quia ex propositione particulari in prima figura nihil sequitur. Præterea assumptio mihi à Bertio tribuitur sophisticè: quia mutilatè. Non ego scripsi ita nudè & crudè, *Deum opus habuisse peccatore ad suam gloriam*: sed scripsi, in disputatione adversus Schafmanum, sectione xxxv. his verbis: *Falsum est, Deum non opus habere peccatore. Nam etsi eo non opus habet ad suam beatitatem: quo respectu nullâ creaturâ opus habet: tamen opus eo habet ad patefaciendam gloriam suam: videlicet tum gloriam justitiæ in peccatore non resipiscente damnando: tum gloriam misericordiæ in peccatore resipiscente servando, Rom. 9. v. 22. & 23.* Ex quibus verbis apparet, me non simpliciter scripsisse (ut Bertius hoc loco mihi affingit) *Deum opus habuisse peccatore ad suam gloriam*; sed cum hâc adjectione, *Ad gloriam suam PATEFACIENDAM*. Sanè Deus in seipso ab æterno gloriosus fuit: unde etiam appellatur *ὁ θεὸς τῆς δόξης*, Deus ille gloriæ, Act. 7. v. 2. ac proinde ad gloriam suam neque peccatore, neque ullâ creaturâ opus habuit. En ingenuam meam responsionem: quam omnibus judicare valentibus satisfacturam puto. Unum tantum adhuc moneo, verbum *Debere* in isto syllogismo *καταχρησικῶς* pro *necesse habere* positum esse.

Pag. 13.

Undecimo loco recitat hæc mea verba: *Omittuntur duo quæ maximè ad verborum meorum sensum, & ad ipsius sententiæ veritatem declarandam pertinent: quorum unum est permissio lapsus: alterum, finium propter quos Deus homines condidit, indicatio.* Subjicit: *Hæc velim Piscator illis respondeat qui ea quæ ipse citat, adversus ipsum citabunt: quid enim ista ad me? Ego alia ipsius verba protuli, ea scilicet quæ jam antè descripta sunt, neque illa moror quæ ipse pro se citat.* Sanè fateor, querelæ istius meæ partem priorem, quæ est de omisâ permissione lapsus, erroneam esse: eò quòd putabam, quum locus à Bertio citatus oculos meos in investigando fugisset; in aliis vero locis mentio permissionis lapsus fieret: illum ex istis locis summam illius meæ doctrinæ col-



næ colligere voluisse. Quod autem attinet ad alteram istius querelæ partem, quæ est de omissione finium propter quos Deus homines condidit, res ita ut queror se habet: sicut ocularis inspectio cuiuslibet planum facere potest. Quare quum errorem istum seu potius hallucinationem istam de ommissa permissione lapsus ingenuè confitear: non est ut sollicitus sim de illis quæ porrò affert Bertius ad ostendendum, mentionem permissionis lapsus in loco ab ipso citato supervacuum & ineptam esse. *Pag. 14.*

Duodecimo loco ipsam meam de divina lapsus permissione sententiam reprehendit, his verbis: *Videamus porrò, qualem ille permissionem concipiat: & an posita permissione qualem ipse concepit, tollatur illius doctrinæ profanitas. Qualem ergò ille fingit? Volo, ô Adam, ut pecces: nolo in tua potestate ut sit non peccare: imò ordino & subordino peccatum tuum: quia opus mihi eo est, neque carere eo possum.* Tum subjicit, *Profectò non permittentis ista, sed efficaciter ordinantis atque decernentis sunt.* Respondeo: Primùm sophisticatur Bertius, dum mihi affingit, quasi Deum ita loquentem introduxerim, *Volo, ô Adam, ut pecces.* Ista enim verba habent vim mandati: ego autem nusquam scripsi, Deum Adamo mandasse ut peccaret. Deinde & illud sophisticè mihi attribuit, quòd simpliciter negem Deum voluisse in potestate Adami esse ut non peccaret. Distinxi enim inter potestatem Adami naturalem qua potuit & peccare & non peccare: & inter eandem quatenus determinabatur à decreto Dei ad partem alteram, videlicet ad peccandum. Tum & illud sophisticum est, quòd fingit, me ita nudè scripsisse, Deum peccato Adami habuisse opus: quum ego convenienter verbo Dei declaraverim, quomodo illo habuerit opus: nempe tum ad patefaciendam misericordiam suam in peccati remissione, tum ad declarandam justitiam suam in quorundam propter illud punitione. Postremò errat Bertius, quum putat, permissionem divinam peccati Adæ cum efficace ejusdem decreto atque ordinatione non posse consistere. Certè omnia Dei decreta efficacia sunt: nam quicquid Deus decrevit, id suo tempore effectum redditur. Decrevit autem Deus peccatum Adæ permittere: quia re ipsa permisit: nec potuit aliter fieri quin illud ex decreto suo permitteret. Quòd autem Deus peccatum Adæ ordinarit ad duos illos fines, patefactionem tum misericordiæ suæ, tum justitiæ vindicatrici: ex ipsa rerum natura atque connexione manifestum est. quomodo enim peccatum Adæ ad illos fines adhiberet, nisi illud ad eosdem ordinasset? Nisi autem permisisset: neque ordinare seu dirigere potuisset. Ergo tantum abest, ut ordinatio peccati Adæ permissionem ejus evertat, ut potius eam prærequirat.



Pag. ead.

Decimo tertio loco desiderat in me Bertius sinceritatem, sic porrò scribens: *Dissimulat quod sentit: ac non tantum veretur dicere id quod docuit sepe, Deum procurasse ut homo peccaret: sed ne eò quidem audet nunc progredi, ut aperte dicat, Deum permisisse ut Adam sua sponte laboretur. Quid enim dicit? Permisit eum Deus tentari à Diabolo, &c.* Tum subjicit: *Atqui tentantur multi, & cætera, qui tamen non peccant. Quid sibi vult illud, Et cætera? Maluit à lectore suppleri aliquid quàm ipse ponere: ne si poneret, suo se proderet indicio. Sic rursus: Permisit ut à diabolo seduceretur, &c. quasi non propria quoque intercessisset præelectio! Mirum cur is qui hæcenus sine ulla verborum circuitione dixit quod sensit, nunc repente *νευψίως* factus sit: & ubi maximè loqui debebat, suamque mentem exsertè proferre, nunc nobis obtrudat suum *Et cætera*. Nimirum ita est. Non agnoscit nunc, ut videtur, horridas illas theses, sed amat tamen earum principia: itaque expedire se non potest: neque verò unquam expediet, nisi cum conclusionibus istis ipsas quoque *ἀρχὰς* rejecerit. Respondeo: Quid verò est sycophantari, si hoc non est? Ait me dissimulare quod sentio: nec audere dicere quod aliàs dixi. Sed unde hoc colligit? Nempe ex eo quòd hinc illud ipsum non dico. At quæ est hæc consequentia: Non dicit: ergo non audet dicere: ergo dissimulat? Ego verò hinc ea tantum dixi, & verò dicere debui, quæ institutum meum ut dicerem postulabat: quod erat ut ostenderem, me non ita nudè scripsisse (nempe in locis à me recitatis) Deum condidisse homines hoc consilio ut laborerentur: sed scripsisse, condidisse eos hoc consilio ut permitteret eos tentari à diabolo. Et rursus, quòd decreverit permittere, atque etiam permisit, ut à diabolo seducerentur. Et utrique huic sententiæ adjeci notam &c. quia non opus erat repetere verba annexa: quum paginam præcedente illa plenè recitasssem. Unde jam liquet, quàm sycophanticè istam vocem interpretetur Bertius: quasi scilicet veritus sim, ne si reliqua apponerem, meo me proderem indicio: item quasi repente factus sim *νευψίως*. Age apponam illa: ut appareat, me nihil hinc dissimulare. Prior igitur locus plenè*

Pag. Refut.  
167.

sic habet: *Interim tamen condidit eos (Deus homines) hoc consilio ut permitteret eos tentari à Diabolo, & ad peccandum induci: cujus consilii vi fieri aliter non poterat quin peccarent.* Posterior verò locus sic habet: *Decrevit permittere, atque etiam permisit, ut à diabolo seducerentur, & transgressione mandati divini reatum mortis æternæ contraherent, atque insuper naturam suam fœdè corrumpèrent, ita ut jam à natura non peccare non possint. Sed cur hæc omnia sic egit? Ideo nimirum, ut occasionem haberet perveniendi ad fines sibi propositos: eligendo scilicet ex lapsis & corruptis aliquos quos ex misericordia per Christum mediatorem servaret: reliquos verò in miseria quæ sua culpa sibi attraxerant relinquendo, & propter peccata justè damnando.* En habet nunc Bertius expletum utrumque

Pag. Refut.  
165.

illud

Pag. Refut.  
166.



illud meum *Et cetera*: quod ipse tam malignè interpretatur. Quid autem in istis habetur quo me ipse prodam tanquam forex, meo indicio? Porro amplificat institutam sycophantiam Bertius, dum ait, me ne eò quidem audere nunc progredi, ut apertè dicam, Deum permisisse ut Adam *sua sponte* laberetur. *Quid enim dicit, inquit? Permisit eum Deus tentari à diabolo &c. Atqui tentantur multi qui tamen non peccant.* Egregia verò ratiocinatio: Non dixit hîc: ergo non est ausus dicere. Nec verò debui istud dicere, si istud *SUA SPONTE* idem valeat quod *ULTRO*. Non enim certè ultrò lapsus est Adam, sed per uxorem persuasus à diabolo. Et hoc ipsum ego in priore *Et cetera* dixi, nempe Deum condidisse homines hoc consilio, ut permetteret *EOS AD PECCANDUM INDUCI*. Peccarunt igitur primi parentes, non quidem sua sponte seu ultrò: sed tamen volentes, idque ex falsa persuasione atque spe adipiscendæ majoris felicitatis. Itaque Bertius frustra illud objicit, *Tentantur multi qui non peccant.* Ego enim expressè dixi, Deum permisisse primos parentes non solùm tentari à Diabolo, sed etiam ad peccandum induci. Ejusdem farinae est & ista ratiocinatio; Piscator dicit, Deum permisisse ut homo à diabolo seduceretur: ergo negat propriam quoque hominis prælectionem intercessisse. Imò prælectio illa ideo intercessit, quia homo jam à diabolo seductus fuit falsâ opinione consequendi æqualitatem cum Deo, si mandatum Dei transgrederetur.

Decimoquarto loco defendere se & à calumnia purgare conatur contra reprehensionem de omissione finium prædestinationis divinæ, quos ego passim in illa mea adversus Schafmannum disputatione, unde ille calumniæ materiam protulit, inculco. Primùm igitur verba mea recitat, quibus fines illos ab ipso omisos recito, nempe hæc, *Fines autem quorum recitatio hîc omittitur, conditorum à Deo hominum, expressè indicavi istos: Ut ex lapsis eligeret aliquos, quos ex misericordia per Christum mediatorem servaret: reliquos verò in miseria, quam suâ culpâ sibi attraxerant, relinqueret, & propter peccata justè damnaret.* Ad hanc reprehensionem ita respondet Bertius: *Quid autem? Nonne hæc ego verba, QUIPPE quum non nisi hæc ratione potuerit perveniri ad fines illos principales, totidem literis descripsi?* Respondeo: At interim fines ipsos quos in loco ab ipso recitato continenter indico, silentio præterivit: *PATEFACTIONEM scil. misericordie in salute aliquorum, & patefactionem justitiæ in interitu reliquorum.* Contra hoc excipit, *se putavisse, illa quæ protulit sufficere ad specimen tam profanæ sententiæ: neq; ulterius sordidâ verborum istiusmodi recitatione obtundendas aures illustrium provincie Ultrajectinae Ordinum.* Respondeo: Primùm, sententiâ illa quam Bertius de Pag. 25.



creatione hominum ex mea adversus Schafmannum disputatione recitat, non est profana: quia fundata est in sacris literis, ut ibidem demonstravi. Deinde verba quæ ille omisit, & ubi recitationem suam abruptit, non sunt sordida, ut aures illustrium ordinum meritò possent offendere. Quis enim pius offendatur, quum audit, Deum in creatione hominum propositos sibi habuisse duos illos fines principales: patefactionem misericordiæ & patefactionem justitiæ? Certè qui his verbis offenditur, illum offendi quoque oportet verbis Apostoli Rom. 9. v. 21. 22. & 23. ubi ait, *Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Quid si verò volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, perculit multa lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum: & ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ preparavit ad gloriam? An non satis apertè hîc docet Apostolus, Deum condidisse homines ad fines diversos: nempe ut in quibusdam patefaceret justam suam iram, in aliis verò misericordiam?*

Adhæc Bertius non solùm omisit recitationem finium illorum: sed etiam sententiam continenter annexam, & individuo nexu cum præcedentibus coherentem: quippe quâ sententiæ illius de consilio divino permittendi lapsum (quam ipse profanam nominat, quòque Deum tyrannum constitui calumniatur) ratio continetur: nempe hanc, *Neque enim poterat misereri, nisi miserorum: neque justè damnare, nisi peccatores.* Jam verò negari non potest, calumniari eum, qui ex integra pericope excerpit & traducit sententiam quâ ratio humana, extra verbum Dei judicâs, offenditur: qualis est hæc, quòd Deus homines hoc consilio condiderit ut re ipsa laberentur: & interim omittit coherentia verba, quibus sententiæ illius veritas demonstratur, eâque demonstratione offensio ex ipsius sententiæ consideratione concepta in piis animis tollitur. Etenim pius animus quum audit, sententiam aliquam, à qua ratio humana abhorret, fundatam esse in sacris literis, & apodixi logica (quam ipse Bertius inter criteria controversiarum Theologicarum retulit) concludi: si maximè offensus fuit, offendi tamen desinit. Apodixis autem hæc est:

*Si Deus hoc consilio condidit homines ut in aliquorum salute patefaceret misericordiam suam, per condonationem scil. peccatorum: in aliorum verò interitu justitiam, per peccatorum scil. admissorum imputationem: sequitur necessario, Deum condidisse homines ut laberentur seu peccarent. Quia ubi nullum est peccatum, ibi peccatum nec condonari, nec ut admissum imputari potest.*

Atqui



*Atqui verum est antecedens: teste Apostolo Rom. 9. v. 21. 22. & 23. Quem locum paulo antè recitavi.*

*Ergo verum est etiam consequens.*

Atque ita haftenus ostendi, propter verba in loci ex disputatione mea contra Schafmannum deprompti recitatione à Bertio omiffa illum adhuc calumnie crimine teneri. Nunc videamus, quo modo se defendat contra querelam meam de calumniosa sententiæ meæ ad exemplum Tiberii Cæsaris accommodatione. Initiò igitur recitat verba mea hæc, *Primum calumniosa sunt hæc ipsa verba, quòd ego verba illa scripserim ad Tiberii exemplum. Quid enim? An igitur ego exemplum istud mihi in scribendo proposui, cui sententiam illam meam accommodarem?* Respondet Bertius, *Quam lentè procedit ista de calumnia accusatio? Quum vellem significare, similitudinem magnã esse inter Tiberii deliberationes, & eas quas Deo affingit Piscator, dixi, ista ab illo cõcepta & scripta esse ad exemplum Tiberii. Exemplo enim alieno fieri Latinis dicuntur ea quæ aguntur similiter. Et paucis interjectis: Ajo, ad exemplum aliorum fieri quæ similiter geruntur: formulã Ciceroni, Terentio, Plauto admodum familiari.* Respondeo: Ego nullas Deo deliberationes affingo: sed quas ei tribuo, è sacris literis profero. Deinde etsi hanc defensionem admitto: tamen ajo, propriè loquendo nos ea demum ad exemplum alterius facere dici quæ in illo imitamur. Interim tamen per hanc vocabuli explanationem nondum se à calumnia liberavit Bertius: quia similitudinem deliberationum divinarum cum deliberationibus Tiberianis illis principaliter ponit in tyrannide. Neque enim aliam causam afferre potest illius suæ exclamationis, *Ignosce, ô bone Christe, ecclesie tuæ doctoribus qui de Deo ad exemplum Tiberii (nempe ad similitudinem actionum istarum tyrannicarum paulò antè recitatarum) docere, loqui, scribere non verentur.* Et ibi verba mea recitat. Imò expressè verba illa sua sic declaravit suprã p. 7. & 8. ubi ait, *se adhuc dicere, Ignosce, ô bone Jesu, ecclesie tuæ doctoribus, qui sub zelo religionis ea de Deo dicere, loqui, scribere non verentur, quæ vix in Tiberium aliquem, hoc est, in IMMANISSIMUM TYRANNUM, cadunt.* Quod quum ita sit: inanem operam hîc sumsit Bertius, quòd in tabula aliquam multas similitudines inter actiones quas ego tribuo Deo in negotio prædestinationis, & inter actiones illas Tiberii, oculis lectoris subjecit, & paginis tribus sequentibus fusè & verbosè repetivit, Tragicisque exclamationibus exaggeravit. Nam omnibus illis positis atq; concessis, dissimilitudo tamen manet in eo de quo est quæstio: An scilicet actiones illæ Dei sint tyrannicæ, sicut istæ Tiberii fuerunt: id quod ego nego: negationem autem hanc probavi ex natura Dei, quæ sancta est, imò ipsa sanctitas. Est

E



Pag. Refut.  
478.

tamen quod in illa collatione jure reprehendam. Ut quod in secunda ejus parte mihi tribuit, quod doceam, *Deum velle maximam mundi partem rejici* CITRA RATIONEM PECCATI. Istud enim ego non ita scripsi: sed scripsi, prædestinationem atque reprobationem non pendere à peccato ut causâ. At verba illa quæ Bertius mihi affingit, ita possunt accipi ac si Deus decrevisset maximam mundi partem rejicere, etsi illi non essent peccaturi: id quod ego nequaquam sentio. Deinde in collationis membro tertio falsò & per calumniam mihi tribuit, quod doceam, *Deum velle maximam mundi partem rejici, Quia ita ipsi* LIBET. Ubi ex membro opposito apparet, Bertium isto verbo libidinem tyrannicam intelligere, qualis fuit illa Tiberii, qua ei libuit immaturas virgines strangulari. At ego de Deo nusquam ita vel sensi vel scripsi: sed scripsi, Deum ita decrevisse EX BENEPLACITO VOLUNTATIS SUÆ: ut loquitur apostolus Eph. 1. v. 5.

Pag. 20. &  
32.

Secundo loco exceptionem meam contra istam tyrannidis similitudinem refutare instituit Bertius: ac primùm verba mea recitat: quæ sic habent, *Excipient, sententiam ipsam meam factò isti Tiberii similem esse. Ego verò istud pernego. Quippe factum Tiberii est facinus crudele, admissum contra legem naturæ, quæ ei dictabat, neminem esse ledendum. At consilium sive decretum Dei de perdendis plerisque hominibus deq; permittendo peccato, ut ad illi finem pervenire posset, nequaquam crudele est: quò omnes Dei actiones sanctæ sint: quumq; ipse nullo modo peccare possit. Ad hæc respondet Bertius: Quin omnes viæ Dei sint veritas & justitia, non est inter Christianos qui ambigat: sed hæc quæ ipsi adscribit Piscator, crudelia sunt, impia, fraudulenta, immania, injusta, omnemq; excedunt etiam savissimi tyranni improbitatem. Non cadunt ergo in Deum. Ego verò nego istius enthymematis antecedens. Nã quæ ego hîc Deo adscribo, ea eidem adscribit scriptura sacra: quæ certè Deo nihil tale adscribit, qualia multa hîc odiosè coacervat Bertius. Duo autem sunt quæ ego hîc Deo adscribo, quæque Bertio crudelia videntur. Unum, quod Deus decreverit perdere plerosque homines: alterum, quod decreverit permittere peccatum, ut ad illum finem pervenire posset. Ego verò utrumque probo: idque primò conjunctim, sic:*

*Quicquid in tempore facit Deus, id ab æterno decrevit facere: juxta illud Apostoli Jacobi dictum in concilio Hierosolymitano, Nota sunt Deo ab ævo omnia opera ejus, Act. 15. v. 18.*

*Atqui Deus in tempore perdit plerosq; homines, & in tēpore peccatū permisit. Ergo utrumque illud facere ab æterno decrevit.*

Assumptionis membrum prius probo ex verbis Christi Matth. 7.

v. 12. &c



v. 12. & 13. *Lata est porta, & spatiosa via, quae abducit in exitium, multi que sunt qui introeant per eam. Quia angusta est porta, & stricta via, quae ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniant eam.* Jam verò certum est & extra controversiam positum, Quotquot in exitium abducuntur, eos propter ipsorum peccata exitio illo à Deo perdi. Posterius membrum assumptionis per se ita planum est, ut probationis haud egere videatur: nec quicquam crudele Deo adscribit. unde mirari quis possit, quòd Bertius numero plurali dixit, *E A* quæ ego in illis verbis Deo adscribo, esse crudelia, impia &c. Nam certè membrum hoc excipere non potest; quum eo remoto, non remaneat nisi unum illud, quòd Deus decreverit plerosque homines perdere. Interim tamen ipsum quoq; probabo: ut vanitatem criminationis Bertianæ evidentio rem reddam.

*Si Deus peccatum non permisit, impedivit. Tertium enim hîc nullum datur.*

*At non impedivit. Si enim impedivisset, non esset factum. Ergo permisit.*

Sed aliud affert argumentum Bertius ad probandum, ea quæ ego in verbis recitatis Deo adscribo, in eum non cadere. *Si sacras literas consulimus, inquit, ea nobis Deum describunt qualem recta secundum naturam ratio ostendit: bonum, φιλάνθρωπον, beneficum, justum, misericordem, imò & meliorem in Christo quàm natura dicet.* Sanè ita est: sed per attributa ista non evertitur summa illa potestas, quam ipsam quoque sacræ literæ Deo attribuunt: ex qua potestate decretum illud de plerisque hominibus perdendis, quòd ego Deo adscribo, depēdet: juxta illud ipsius Dei dictum, quod ex Mose Paulus recitat Rom. 9. v. 15. *Miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero.* Item versu 21. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vos ad decus, aliud verò ad dedecus?*

Tertio loco, Quia in explicatione quæstionis quam epistolæ ad vos, fratres Belgæ, subjunxi: scripsi, objectum prædestinationis esse hominem consideratum etiam ut nondum conditum; Bertius contrà sic disputat: *Natura clamat, Non entis nullas esse affectiones, nullum de eo dari conceptum. At istis placet, Deum priusquam decrevisset homines creare, hoc est, efficere ut essent entia, statuisse hos illos distinctè perdere & præcipitare in gehennam de qua nondum statuerat illam fore.* Resp. Postremum hoc non scripsi, neq; illud ex iis quæ scripsi, deduci potest. Certè quod posterius est in executione, id prius fuit in decreto. Præcipitatio autem horum illorum (verbi gratiâ Cajini, Saulis & Judæ) in gehennā, posterior est eorundē creatione: nisi enim creati illi fuissent, in gehennā præcipitari non potuissent. Ergo Deus illos in gehennam præcipitare statuerat, antequā eos crearat.



Deinde etsi non entis nullæ sunt affectiones (verbi gratiâ, ubi nullus est homo, ibi nulla est affectio seu qualitas hominis: ubi nullus lapis, ibi nulla affectio seu qualitas lapidis) id tamen non obstat, quo minùs Deus de non ente aliquid decreverit: puta ex non homine facere hominem, ex non lapide lapidem. Nam quod dicit Bertius, de non ente nullum dari conceptum, falsum est. Datur enim conceptus privativus: quo non solùm Deus, sed creaturæ quoque rationales, angeli & homines, non ens concipiunt sub privatione entis: cujus respectu ex non ente potest fieri ens. Imo Deus non solùm concipit non ens, sed etiam in illud agit: quippe ex eo ens producit. Ita ex non mundo mundum produxit: & ex tenebris lucem, ut testatur Paulus 2. Cor. 4. v. 6.

Pag. ead.

Quarto loco sic contra me disputare pergit: *Testatur scriptura sancta, magis propendere Deum ad misericordiam quam ad justitiam, imò hanc ab illa quasi in triumphum duci. At istis placet, ne in equilibrio quidem hæc esse posita: sed voluisse Deum, quum omnes servare posset, maximam hominum partem exitio devovere, servat à minimâ.* Respondeo: Annotare debuit Bertius locum scripturæ, ubi sententia illa contineatur. Nam ipsa illa verba nusquam in scriptura exstare, ipsemet per id significat, quòd ea non curavit minutiore caractere imprimi, ut in aliis allegatis fecit. Sed nec sententiam illam in scriptura exstare dici potest: quum tribuat Deo pugnam actionum ipsius. nam certè si misericordia Dei justitiam ejus in triumphum ducit, necesse est ut eam devicerit (nullus enim triumphus sine victoria) ac proinde ut cum illa pugnarit; quum nulla sit victoria sine pugna. Fortassis autem dum Bertius sententiam illam scriberet, in mente habuit dictum illud Jacob. 2. v. 13. *Misericordia superexaltavit judicium*, ut vetus quidem versio ibi habet. Sed ibi neque per misericordiam misericordia Dei, neque per justitiam justitia Dei intelligitur: sed intelligitur misericordia hominis fidelis erga proximum, & damnatio æterna: ut ex antithesi percipitur. Dicitur enim, *Judicium absque misericordia erit ei qui non presterit misericordiam: & gloriatur misericordia* (sic enim rectè D. Beza vertit) *adversus judicium*, id est, damnationem.

Pag. ead.

Quinto loco sic pergit: *Non est viri boni optare cuiquam malè: & credimus nos Deum, qui solus bonus est, paucissimos servare, plurimos perdere citra antecedentem culpæ rationem voluisse?* At non attendit Bertius, magnam hîc esse in exemplo dissimilitudinem. Quippe vir bonus tenetur omnibus optare benè, nemini malè: quia obligatus est ad regulam illam, *Quæcunque vultis ut vobis faciant homines, ea & vos facite eis*: at Deus ad nullam regulam obligatus est: sed pro liberrimâ suâ potestate *cujus vult, misere-*  
tur,



*tur, & quem vult indurat, Rom. 9. v. 18. Parique ratione quem vult, servat: quem autem vult, perdit. Perdit autem plures quam servat: sicut supra ex dicto Christi de lata porta & spatiosa via quæ in exitium abducit, à me probatum est. At si bonus est, ut est: quomodo igitur perdere voluit plurimos citra antecedentem culpæ rationem? Respondeo: Scriptura utrumque de Deo testatur, & quod bonus sit, atq; adeo solus bonus: & quod aliquos prædestinarit ad *υποθεσιαν*, adoptionem in filios, secundum beneplacitum voluntatis suæ, Ephes. 5. v. 5. unde sequitur, eum reliquos secundum idem beneplacitum prædestinasse ad rejectionem ab illa *υποθεσια*, ac proinde ad perditionem. Si autem utrosque ita prædestinavit ex beneplacito: sequitur, non prædestinasse vel hos propter prævisam culpam, vel illos propter prævisam culpæ immunitatem. Interim satis nobis esse debet, quod Deus neminem perdit, qui perditionem culpa suâ non sit commeritus. Obiter autem hîc notandum est, Bertium in istorum argumentorum propositione subinde uti vocula *ISTIS*, ubi refutare instituit ea quæ à me passim de prædestinatione traduntur. Unde liquet, eum mihi in hac doctrina socios adjungere: ac proinde supra illam non rectè mihi tanquam propriam attribuisse. Pag. 5.*

Sexto loco sic disputare pergit: *Servus à domino desertus sui juris fit, neque amplius ipsius legibus tenetur: at istis placet, desertam illam mundi partem, id est, plerosque homines, nihilo secius teneri ad obedientiam: ut quum exegerit ab ipsis Deus quod præstare non possunt, & à quo præstando aternis decretorum legibus summâque necessitate cohibentur, habeat quos justè damnare queat.* Ad hujus enthymematis antecedens probandum in margine annotat duo loca ex Jure civili Romano, & unum è Suetonio. Sed hac probatione nõ fuisset opus: probanda autem erat consequentia connexi omitti. Non enim sequitur, Si hoc vel illud Jure civili justum est: ergo injustè agit Deus, si agat aliter. Quasi verò actionum divinarum regula sit jus humanum: aut quasi Deus non habeat liberam de creaturis suis agendi potestatem, ac proinde justè agat quicquid de illis agit! Atque hæc responsio ad istud enthymema refellendum sufficit: veruntamen operæ pretium est monere de quibusdam quæ inferta sunt consequenti: puta *quod ad obedientiam non teneantur, si qui à Deo deseruntur.* Atqui ad obedientiam erga Dei mandata tenentur omnes homines: sive à Deo deserantur, sive ab eo ad obedientiam præstandam adjuventur: idque ipso jure creationis quo Deo tâquam domino suo obligati sunt, Deus verò nulli homini ad eum adjuvandum obligatus est. Deinde & illud in consequente enthymematis istius erroneum est, *quod Deus injustè agat, si exigat*



*à desertis illis quod præstare non possunt. nam Deus illos tales condiderat, ut obedientiam mandatis ipsius præstare possent: ipsi verò potentiâ illâ non sunt usi, sed per voluntariam inobedientiam sibi impotentiam obediendi per justam Dei pœnam attraxerunt. Deus autem interim jus suum retinet, obedientiam ab illis perpetuò postulandi. Sicut creditor aliquis non amittit jus suum postulandi pecuniam creditam: etiamsi is qui illam mutuò acceperat, eandem abliguriverit atque decoxerit, ita ut non sit solvendo. Præterea sophisticè & calumniosè dicitur illud, *desertos illos à præstanda obedientia decretis divinis COHIBERI*. Cohiberi dicitur is qui ab eo quod agere cupit atque conatur, vi retrahitur: ut quum equus ferociter currens freno retrahitur. At deserti illi non cupiunt neque conantur mandatis Dei præstare obedientiam: sed potiùs jugum obedientiæ illius excutiunt. Non ergò rectè dicuntur decretis divinis ab illa *cohiberi*.*

Pag. ead.

Septimo loco sic pergit: *Reges docet Augustinus dictos à regendo, negatque eos regere qui non corrigunt: at istis placet, Deum regem illorum esse quos ne corrigi quidem cupit. Quasi verò Deus cogendus sit in ordinem regum hujus mundi! Reges hujus mundi tenentur cupere ut subditi ipsorum corrigantur. at rex ille regum, Deus opt. max. non tenetur tale quid cupere? Sed potestatem habet benè cupiendi & benè faciendi quibus vult: itemque malè cupiendi & malè faciendi quibus vult: juxta illud Apostoli, *Cujus vult, miseretur: quem autem vult, indurat*, Rom. 9. v. 18. Deinde Deus non minùs corrigit eos quos spiritu suo deserit, quàm reges mundani suos subditos. Ut enim illi istos corrigunt increpationibus & pœnis: ita & Deus illos.*

Pag. 21. &  
22.

Octavo loco annectit adhuc unum enthymema, his verbis; *Alibi quoque Augustinus monet, subditos meritò à superioribus exigere custodiam & disciplinam. Quomodo subditi Deo dicentur reprobi, quos ille neque custodit, neque disciplinâ suâ informat?* Rursum hîc errat Bertius ex falsa comparatione Dei cum hominibus, nempe ex hoc falso principio, *Qualia officia homines debent hominibus, talia illis debet etiam Deus.* Imò Deus nulli homini quicquam debet: nisi quatenus se credentibus in Christum debitorem fecit vitæ æternæ per ultroneam & gratuitam promissionem: de quo debiti genere hoc loco non est sermo. Superiores autem subditis suis debent custodiam & disciplinam, quia ad hoc per legem Dei sunt obligati. Etsi autem Deus non custodit reprobos eo custodiæ genere quo custodit electos, nempe ne à lupo illo infernali eripiantur è manibus ipsius, Johan. 10. v. 29. tamen custodit & protegit eos sæpe in hac  
vita



vita in variis periculis. Adhæc falsò nobis impingit Bertius, quòd doceamus, *Deum reprobos non informare suâ disciplinâ*. Docemus enim certè, Deum tam reprobis (saltem aliquibus) quàm electis, proponere suum verbum, quod disciplinæ divinæ sceptrum est.

Nono loco refutare instituit argumentum à me allatum pro sanctitate decretorum divinorum: dum ita scripsi, pag. Refut. 167. & 168. *Consilium sive decretum Dei de hominum aliis servandis, aliis puniendis, deque permittendo utrorumque peccato, ut ad illos fines pervenire posset, nequaquã crudele est: quum omnes Dei actiones (qualescunque iudicio humana rationis videantur) sanctæ sint: quumque ipse nullo modo peccare possit, quippe naturâ sanctus, nullique legi subiectus*. Pro hisce verbis meis Bertius per manifestam calumniam (ne quid dicam asperius) substituit hæc, *fusta, inquit, sunt ISTA & sancta: quia omnes actiones Dei sunt sanctæ*. At quænam ISTA? Id mox declarat, quum cõtinenter subjicit, *Quid aliud diceret paganus aliquis in defendendis adulteriis, furtis, homicidiis suorum deorum?* At ubi ego Deo adscripsi hæc scelera atque flagitia? Ostendat hoc Bertius; aut omnes intelligent, eum mendacii hîc reum esse. Quæ ego scripsi de decretis divinis, illa fingit me scripsisse de adulteriis, furtis, homicidiis: quasi doceam, illa non minùs à Deo perpetrari, quàm pagani tradiderunt illa perpetrata esse ab ipsorum diis. Apage tam petulantes calumnias! Quod quum ita sit: frustra contra sententiam quam mihi affingit, disputat: quanquam ne sic quidem rectè disputat. Repetens enim verba illa, *Sanctè, inquit* (scil. Piscator) *hæc facit Deus: ac tum sententiam hanc refutaturus ab absurdo consequente, subjicit: Sanctè ergò facit ipse quod in aliis vetat & punit. Et sententiam hanc oratoriâ verborum copiâ dilatans, addit: Sanctè procurat adulteria, parricidia, sacrilegia: sanctè præordinat omne malum. fustum in ipso est quod in nobis esset injustitia: sanctitas in ipso quod in nobis summa profanitas & impietas: bonum ipsi quod nobis malum, etiam secundùm verbum ipsius & rectam rationem judicantibus*. Respondeo: Primùm Bertius hîc discedit à proposito. Quum enim ostendere instituerit, Deum non perpetrare scelera paulo antè commemorata, deflectit sermonem ad scelerum illorum procurationem. At licet Deus nullum scelus perpetret, nec per naturam perpetrare possit: tamen illa, teste scripturâ, procurat: ac proinde Bertius procurationem hanc frustra tanquam absurdam tanto verborum apparatu hîc traducit. Audiatur enim quid dicat scriptura de adulterio Absalomi, 2. Sam. 12. v. 11. & 12. *Sic ait Jehova, Ecce ego suscitaturus sum contra te (Davidem) malum è domo tua: & accipiens uxores tuas ante oculos tuos, tradam proximo tuo. (Absalomo) qui cubabit cum uxoribus tuis coram isto sole*.

Pag. 22.



Quia tu fecisti clam: etiam ego facturus sum rem hanc coram toto Israële, & coram sole. Audiatur rursus quid dicat scriptura de mendaciis falsorum prophetarum. I. Reg. 22. v. 23. agebat pius propheta Micha impio regi Ahabo, *Jehova indidit spiritum mendacii ori omnium illorum prophetarum tuorum.* Item Ezech. 14. vers. 9. ait Deus, *Propheta quum pellectus fuerit ut eloquatur verbum (scil. falsum) ego Jehova pellexero prophetam illum.* Idem est iudicium de sceleribus aliis. Porro ex his scripturæ exemplis facile iudicari potest, justum esse in Deo quod in nobis esset injustitia. Certè enim injustè ageret homo qui suo arbitratu acciperet uxorem alterius, eamque alteri viro stuprandam traderet: item qui alium instigaret ad loquendum mendacium. At num audebit Bertius accusare Deum injustitiæ: quem ista fecisse scriptura testatur? Manet igitur, veram esse hanc sententiam, *justum aliquid in Deo esse quod in nobis esset injustitia.* Verùm contra hanc sententiam sic disputat Bertius: *Quin eadem operâ dicit, impar Deo esse quod nobis par est: lucem ipsi quod nobis sunt tenebræ, supera ipsi quæ nobis infera; verum ipsi quod nobis falsum?* Respondeo: Comparat hoc loco Bertius non paria ut paria. Etenim valde dissimilis ratio est exemplorum istorum cum quæstione propositâ de justitia Dei & hominum. Exempla illa loquuntur de iudicio vero mentis: at proposita quæstio est de justitia humana & divina. Verum iudicium mentis de re qualibet unum & idem est in mente Dei & hominum: quia manat ex uno eodemque fonte, nempe axiomaticè hoc, Nihil potest simul esse & non esse: quia hoc implicat contradictionem: cui falsitatem inesse æquè mens Dei ac mens hominum iudicat. Itaque quod mens hominis verè iudicat esse par, idem mens quoque Dei iudicat esse par: nec potest iudicare esse impar: quia sic iudicaret idem esse & non esse. quod enim est impar, id non est par. Idem est iudicium de exemplis reliquis. At justitia humana & justitia divina ex diversis fontibus manant: humana quidem ex conformitate voluntatis cum mandatis divinis seu cum lege Dei. Sicut enim peccatum est *ἡ ἀνομία* (I. Joh. 3. v. 4.) id est, ipsa discrepantia (sive naturæ, sive actionis humanæ) à lege Dei: sic è cōtrario justitia humana est (ut ita loquar) *ἡ ἐνομία*, id est conformitas cum lege Dei. At justitia divina non manat ex hoc fonte: quippe quum Deus nulli legi subiectus sit: sed manat ex ipsa eius natura iusta & sancta, & ex liberrima eius potestate. Itaque necessariò justum est quicquid Deus agit, quia peccare non potest: quum sit naturâ iustus, nullique legi subiectus: sed liberrimâ potestate præditus. Ex his quæ modò in medium attuli, iudicari potest, dissimilem esse sen-

sum

Pag. 22.



sum pronuntiatorum in enthymematis illius antecedente & consequente, Enthymema est hoc,

*Iustum in Deo est (secundum Piscatorem) quod in nobis esset iniustitia.*

*Ergo pari ratione impar est Deo (secundum Piscatorem) quod nobis par est.*

Sensus antecedentis est: Actio quædam quum à Deo proficiscitur, iusta est: quum autem à nobis, iniusta. Consequentis verò sensus hic est: Quicquid nostro iudicio par est, id iudicio Dei impar est. Quis Logices peritus non videat, in antecedente sermonem esse de effectis, in consequente verò de objectis? Etenim actiones sunt effecta agentium: res autem circa quam aliquis iudicando occupatur, objectum illius est. Item quis logicus non videat, antecedens esse particulare, consequens verò universale? At ex particulari universale logicè deduci non potest: juxta regulam in scholis logicorum receptam, *A particulari ad universale non valet consequentia.* Adhæc observandum, pronuntiata quæ tanquam similia in consequente enumerantur, non omnia similia inter se esse. Etenim tria illa priora (*Impar est Deo quod nobis est par, lux est Deo quod nobis sunt tenebræ, supera sunt Deo quæ nobis infera*) falsa, atque adeò impossibilia sunt: quartum verò illud, *Verum est Deo quod nobis falsum*, etsi universaliter intellectum, ipsum quoque falsum est; tamen intellectum particulariter, est verum. Quædam enim quæ iudicio nostro (nempe iudicio rationis naturalis) falsa sunt, ea iudicio Dei sunt vera. Exempli gratiâ. Falsum est iudicio rationis humanæ, per mortem Christi acquisitam nobis esse vitam, juxta illud Catonis, *Ex morte alterius stultum est sperare salutem:* & tamen illud verum est iudicio Dei. Sic falsum est iudicio rationis humanæ, Deum aliquos homines creavisse ad interitum, eosdemque ad interitum prædestinasse ex beneplacito voluntatis suæ: & tamen illud verum est iudicio Dei, ut patet ex ipsius verbo, Roman. 9. vers. 21. Eph. 1. vers. 5. Causa huius rei est, quòd mens humana erroribus est obnoxia: mens divina non item.

Sed amplius instat Bertius contra id quod scripsi de sanctitate decretorum divinorum. *Hoc habet, inquit, imago Dei in nobis, ut quæ secundum primas nature leges ratio averfatùr, non possit nisi per summam impietatem Deo adscribere. Exsecramur omnes illud quod apud poëtam legitur*

————— *sanctitas, pietas, fides*

*Privata bona sunt: qua libet reges eant.*

*Et dicemus hæc ipsa de Deo? Detestamur Juliam dicentem Caracallæ, SI LIBET, LICET: & nos ubi manifesta est impietas, dicemus de sancto illo numine LICUIT, QUIA LIBUIT, vel potius, quia libuisse ipsi ita fingimus? Respondeo,*

F



Primum imago Dei in nobis per lapsum corrupta atque depravata est: unde non est mirum, si ratio nostra aliquid quod sibi Deus ipse in verbo suo attribuit, tanquam impium aversetur. *Animalis* quippe homo non capit ea quæ sunt spiritus Dei: sunt enim ei stultitia: nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur, I. Corinth. 2. vers. 14. Deinde falso mihi impingit Bertius, quod HÆC IPSA dicam de Deo, quæ poëta ille de regibus dicit: item quod de Deo dicam, *Licuit, quia libuit*. Imò dico quæ sacra scriptura de eo dicit, Quod scilicet homines aliquos prædestinarit ad adoptionem in filios *ex beneplacito voluntatis suæ*, Ephes. I. v. 5. Unde sequitur, quod reliquos ex beneplacito suo prædestinarit ad exclusionem ab illa adoptione. Aut enim exclusit eos, aut complexus est. At non est complexus: quia aliquos tantum (nempe electos, de quibus ibi loquitur apostolus) complexus est. Exclusit igitur. Sic Roman. 8. v. 29. prædestinationem ad conformitatem cum Christo, ac proinde ad salutem æternam, ad certos homines restringit, ubi ait, *Quos prædecrevit (ωρεγέγνω) eosdem & prædestinavit ut conformes fiant imagini filii sui*. Unde sequitur, reliquos non esse ad salutem prædestinatos, sed ad interitum. Nisi dicere velimus, Deum illos frustra condidisse: id quod à sapientia ejus alienum est: ut ipse etiam Aristoteles intellexit, quum scripsit, *Deum nihil facere frustra*.

Lib. I. de

calo cap. 4.

Pag. 22. &

23.

Adhuc instat Bertius, *Non ludit, inquit, de corio humano Deus: neque ut olim Ptolemæus Ægypti rex, qui inter laxamenta curarum audiens delata ad se civium nomina, ad jactum aleæ duci alios jubebat, alios absolvebat; prout vel damno irritatus esset, vel lucro delinitus: putat licere sibi, quia dominus est & heres omnium, maximam miserorum mortalium turbam etiam citra culpæ considerationem exitialibus, neque unquam leniendis atque intermittendis flammæ suppliciiis addicere, tantum quia ipsi ita libet. Num & in Deo verum est illud Satyrici, ipso usu & divinarum literarum autoritate comprobatum,*

*Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.* Respondeo. Apage istud exemplum Ptolemæi, cui simile nihil de Deo ego doceo. Doceo autem quod scriptura docet, Deum quia dominus est omnium, potestatem habere *miserendi cujus velit, itemque indurandi quem velit*, Rom. 9. v. 15. & 18. Item doceo, Deum ut aliquos ad salutem prædestinavit *ex beneplacito voluntatis suæ*, Ephes. I. v. 5: ita reliquos prædestinasse ad interitum ex beneplacito voluntatis suæ: ac proinde citra considerationem culpæ, tanquam causæ impulsivæ ad ita prædestinandum: non autem citra considerationem culpæ, tanquam eventuræ ad interitum pro-

meren-



merendum. Cæterùm hîc obiter notandum est, Deum à Bertio nominari *hæredem omnium*: quæ appellatio nec Deo congruit, nec in scriptura reperitur. Reperitur quidem de Christo, Heb. 1. 2. sed respectu naturæ humanæ: quo sensu credentes cohæredes Christi dicuntur Rom. 8. v. 17. Quod autem de cunctatione circa mortem hominis adhibenda, & à Deo ipso adhibita, affert Bertius, id nihil ad rem facit: quia sacræ literæ illud referunt de morte solùm corporis: ut videre est in lege de civitatibus refugii seu receptus, Numer. 35. v. 6. Item in lege de non afficiendo quocquam supplicio capitis ad testimonium unius, ejusdem capitis vers. 30. At nos hîc de morte æterna disputamus: quam Paulus Roman. 9. v. 22. ἀπώλειαν, id est, interitum, nominat: & ad quam vasa iræ coagmentata, id est, reprobos creatos, esse dicit: unde sequitur, ad eandem esse prædestinatos.

Locus Calvini quem ex libro ejus de Providentia adducit, cum eo quod scripsi ego, quodque hîc oppugnat Bertius, non pugnat. Scripsi ego, Deum peccare non posse, *quia nulli legi subjectus sit*: at hoc ipsum iisdem verbis ibi scripsit Calvinus, inquit, *Non quòd legi subjectus sit Deus*. Occasione autem illius loci audet Bertius *profanum* nominare istud quod doceo, *Deum maximam mundi partem antecedente decreto statuisse perdere*. At hoc ipsum docet sacra scriptura, ut jam aliquoties ostendi. Inspiciantur verba Pauli Rom. 9. v. 22. & 23. jam semel atque iterum à me recitata: & comparentur cum dicto Christi de spaciola via que abducit ad interitum, Matth. 7. v. 13.

Tandem locum istum his verbis concludit: *Ergo in simili facto Tiberius crudelis erit, Deus non erit* (scilicet secundum Piscatorem) & *quæ formis, intentione, modo, deliberatione, qualitate conveniunt, different toto genere: quia differunt subjectis*. Respondeo: Ita est: In simili facto (nempe ex parte simili) Tiberius fuit crudelis, Deus crudelis non fuit: quia quicquid Deus agat, non potest crudeliter agere: at Tiberium in strangulatione & constupratione illa virginum crudeliter egisse, extra controversiam est. Deinde non est verum, decreta Dei de quibus ego scripsi, cum actionibus illis Tiberii convenire *modo & qualitate*. Quippe Deus illa de quibus scripsi, decrevit sanctè: ac proinde decreta illa sunt sancta: at Tiberius mandando constuprationem & strangulationem virginum, egit crudeliter; ac proinde illa ejus mandata crudelia fuerunt.

Decimo loco pergit Bertius, & aliam particulam refutationis meæ oppugnare aggreditur. Ea sic habet: *Quid quòd etiam in hac parte dissimilitudo sese offert? Tiberius enim ad strangulationem virginum aliâ viâ*

Pag. 23.

Pag. Refut.  
168.

Pag. 23.



pervenire poterat, nempe per contemptum moris patria: itaque non nisi ex hypothesi aliter eò pervenire non poterat, nempe si salvum relinquere vellet morem patria: at Deus simpliciter non potuit ad fines suos propter quos homines condidit aliter pervenire quàm per peccati permissionem: idque propter ipsam rerum necessariam inter se connexionem. Simpliciter enim impossibile est, propter contradictionis implicationem, ut vel ex misericordia servetur qui miser non est, vel ex justitia damnetur qui non est peccator. Quæ contra hæc deinceps per duas paginas disputat Bertius, referta sunt cavillationibus, mendaciis & calumniis: id quod particulatim demonstrabo. *Obsecro vos*, inquit, *virii fratres*, Annon hæc ita dicere, est culpam agnoscere, & crimen quod negari debebat tanquam à Deo alienissimum, apertè confiteri? Hic quæro, quam culpam, quod crimen intelligat? Id mox declarat, sic inquit: *Quid enim dicit Piscator? Tiberius potuit aliter, Deus non potuit.* Tum subjungit, *Esto, potuerit plus Tiberius quàm ipse juxta Piscatorem Deus: quid tum postea?* Respondeo. Verbo POSSE ego usus sum ad significandum possibilitatem facti, admonens possibile fuisse ut Tiberius aliâ viâ ad finem sibi propositum perveniret: impossibile contra ut Deus aliâ viâ ad finem sibi propositum perveniret. At Bertius per fallaciam homonymiæ istud calumniosè interpretatur de potentia & viribus aliquid difficile efficiendi: & quod ego per antithesin dixi, Tiberium potuisse, Deum non potuisse, id ille in comparationem imparium transformat, fingens me majorem Tiberio quàm Deo potentiam tribuere. Quæ sanè atrox calumnia est: quum crimen istud cum blasphemia conjunctum sit, qua omnipotentia Dei negatur: & potentia miseri mortalis potentiæ immensæ Dei immortalis anteponitur. Pergit, *Esto, potuerit plus Tiberius, quàm ipse juxta Piscatorem Deus: quid tum postea?* Ergo, inquit, *Deus culpâ vacat: fecit enim aliquid quod vitare non potuit.* Respondeo: Falsò hoc enthymema Bertius mihi attribuit. Provoco ad inspectionem loci recitati: quippe ubi enthymematis istius consequens ne uno quidem verbo attingitur. Pervertit igitur hoc loco Bertius statum quæstionis. Quæstio enim est, an sese offerat dissimilitudo inter decretum divinum de permittendo peccato, & inter mandatum Tiberii de strangulandis virginibus. Hanc dissimilitudinem ego perspicuè ostendi. Bertius autem illam silentio præterit. Pergit: *Si fecit Deus quod vitare nõ potuit: fecit igitur.* Respondeo. At quid fecit? Nempe decrevit permittere peccatum. Hoc enim in pericope recitata fecisse dicitur. Cur igitur hoc contra me probare instituit Bertius, quasi ego istud negem? Pergit. *Quid de modo laboramus, quum de facto exstet Piscatoris confessio? Excusat modus factum, non tollit: crimen extenuat, non aufert.* Respondeo:

Pag. 24. &  
25.

1.

2.

3.

4.

spondeo:



spondeo: Quod verò crimen? An igitur Bertio crimen videtur, quòd Deus decrevit permittere peccatum? Videatur igitur ei hoc quoque crimen esse, quòd permisit peccatum: quod tamen ab eo factum esse, non puto illum negaturum. Pergit: *Tantum ergo hæc valent, ac si diceret, Minus peccavit Deus quàm Tiberius: nam hic quidem potuit aliter, Deus non potuit.*

Respondeo: Rursus mihi falsò tribuit enthymema quod in pericope mea non habetur. Neque enim in eo quæritur, an peccaverit Tiberius: sed an aliâ viâ pervenire potuerit ad effectum dandum propositum suum de virginibus strangulandis. Non autem sequitur, Tiberius potuit aliter ad scopum suum pervenire, quàm Deus: ergo Deus minus peccavit quàm Tiberius. quæ enim est hîc vis consequentiæ? quæ sententiarum connexio? Nulla prorsus.

Pergit: *O inefficacem atque imbecillum Piscatori Deum: qui quod Tiberius vitare potest, ipse non potest? qui non potest non velle hominis peccatum, quia non nisi per peccatum potest procurare decretum à se miserorum mortalium exitium.*

Respondeo: Redit calumnia deprompta ex fallacia homonymiæ. Vitare posse aliquid, est præditum esse potentia seu viribus ad illud vitandum: at ego de hac potentia nihil dixi: sed dixi de possibilitate actionum: possibile scil. fuisse ut Tiberius aliter ad suum scopum perveniret, impossibile autem ut Deus, idque propter necessariam rerum connexionem.

Pergit: *Clamat ubiq; Deus, Non feci hominem ut perderem. Imò, inquit isti, Fecisti maximam mundi partem ut eam perderes.*

Respondeo: Imò nusquam ita clamat Deus: sed è contrario sacra scriptura clamat, *Deum omnia (sive omnes) fecisse propter seipsum, etiam impium ad diem mali, Prov. 16. 4. Item, Deum fecisse quedam vasa ad dedecus: Rom. 9. 21. Item, Coagmentasse vasa iræ ad interitum, ibid. v. 22.*

Pergit: *Clamat ipse, Maledictus qui cæco objicit lapidem ut cadat. Imò, inquit isti, idcirco dedisti legem ut Adamus eam violaret.*

Respondeo: Legem illam Lev. 19. vers. 14. de non ponendo offendiculo ante cæcum, dedit Deus homini, non sibi.

Sibi autem retinuit ac retinet potestatem efficiendi, ut sapientes interdum incidant in tenebras, & quasi de nocte palpent in ipso meridie, Job. 5. v. 14.

Item faciendi ut primores populi errent in loco inanitatis avio, ut palpent in tenebris, & ubi non est lux: denique faciendi ut errent sicut ebrius, Job. 12. v. 24. & 25.

Item ponendi Christum in casum & in signum cui contradicatur, Luc. 2. vers. 34. Item ponendi Christum in lapidem offendiculi & petram offensionis, 1. Pet. 2. v. 7.

Pergit: *Clamat ipse, Non opus habeo peccatore. Imò, inquit Piscator, falsum est Deum non opus habere peccatore: neque enim potest ipsi constare gloria justitiæ, si nullus sit peccator*

Respondeo: Nempe gloria justitiæ vindicatricis. Quomodo enim vindicare potest Deus in peccatorem, si nullus peccator sit? Et hoc

5.

6.

7.

8.

9.



- argumentum Bertius irrefutatum relinquit: nec verò refutare illud unquam poterit. Sed ubi clamat Deus (nempe in sacra scriptura) *Non opus habeo peccatore?* Proferat locum Bertius, si potest. Si proferat locum Sirach. 15. v. 12. in promptu est responsio, librum illum non esse librum sacrae scripturae. Pergit: *Clamat Siracides, Ne dicas, Per Dominum factum est ut deficerem: Ne dicas, Ipse finxit me talem.* Opponit Piscator, reijciendum esse testimonium Siracide, quum non sit authenticum, neque habere probandi vim. Tum subjungit, *Unquamne quisquam credidisset, tantum valituram fuisse praconceptam in animo opinionem, ut homines etiam pios & religiosos cogeret se naturae meliori & divinis placitis opponere?* Quid ergo? An quae scripsit Sirachides, sunt placita divina, id est, à Deo inspirata & dictata? Ergone Deus illi inspiravit & dictavit falsam illam narrationem de Samuele, quòd postquam obdormivisset, prophetaverit, & è terra vocem suam extulerit? Sirach. 46. v. ult. Quid quòd Sirachides in illis verbis non negat, per Dominum factum esse ut homo deficeret: sed tantum monet hominem, ne defectionis suae culpam Deo adscribat? Sicut Paulus Rom. 9. v. 19. & 20. non negat, hominem induranti Deo non posse resistere: sed tantum reprehendit hominem induratum, quòd indurationis suae culpam Deo adscribere aufit. Nec verò dum doceo, Deum opus habuisse peccatore ad patefaciendum tum misericordiam suam in peccatis condonandis, tum justitiam in eisdem puniendis, me oppono naturae meliori, sed deteriori, nempe rationi hominis corruptae, necdum regeneratae, ac proinde de mysteriis divinis in verbo Dei traditis judicare non valenti. Pergit: 10. *Tiberius, inquit (scilicet Piscator) potuit alià vià pervenire ad strangulationem virginum. At quâ? Per contemptum receptae consuetudinis.* Tum subjungit: *Suadet ergo ipsi Piscator ut strangulet intemeratas. O egregium virum! dignum qui Tiberio consilium suggerat!* Respondeo. At quomodo criminofum istud atque calumniosum consequens ex illo antecedente deducitur? An igitur quicumque dicit, aliquid alteri factu possibile esse, hoc ipso ei suadet ut id faciat? Pergit: *Ceterum mores legesque patriae contemnere, annon est peccare in rempublicam?* Respondeo: *Quis negat?* Infert: *Suadet ergo (Piscator) ut omisso uno peccato, per aliud peccatum ad finem improbum perveniat (Tiberius) quod tãtundem valet. O iterum virum prudentem! Voluit Scyllam declinare, & incidit in Charybdin.* Respondeo: *Quid verò est petulanter calumniari, si hoc non est? Quâ enim vi consequentiæ Bertius criminofum hoc quoque consequens ex verbis meis deducit? An ergo quicumque dicit, possibile alicui esse ut mores legesque patriae contemnat, atque per tale peccatum ad aliud peccatum perveniat, eidem suadet ut id faciat?*
- Per-



Pergit: *At nos dicimus, neq<sup>3</sup> fas fuisse Tiberio finem illum velle, hoc est, virginem occidere: neque per ullum nefas debuisse ipsum ad finem nefarium progredi. Quae quidem ut sancta sunt, ita à consiliis Piscatoris longè recedunt.* Respondeo: Et quando tandem sibi satisfaciet Bertius, calumniam eandem toties iterando? Certè in verbis meis quæ hîc oppugnat, nullius consilii vel minimum indicium est: nulla etiam facti illius Tiberiani vel laudatio vel excusatio. Quin potius factum illud Tiberii nefarium fuisse profiteor, dū crudele fuisse affirmo, pag. Refut. 168. Pergit: *Non potuit, inquit (Piscator) aliter Deus. Debit ergo procurare peccatum, si veller, quam voluit, justā dānationem plurimorum.* Resp. At ubi illud enthymema habetur in verbis meis quæ hîc oppugnat Bertius? Non pudet eū, subinde ea quæ non scripsi mihi attribuere. Pergit: *Quid ergo? Annon potuit prius decretum evertere? Nam in consultationibus quum queritur quid faciendum sit, inciditur, teste apud Ciceronem Antonio, omnis deliberatio, si intelligatur non posse fieri. Non potest autem Deus non bonus esse, clemens, justus, sapiens: quia abnegare seipsum non potest. Debit igitur incidere potius deliberationem quàm contra naturam suam facere.* Respondeo: Ut vis istius argumentationis meliùs percipiat, opus est declarare, quid hîc intelligatur per decretum prius. Intelligitur autē decretum de fine, nempe de patefaciēda misericordia in peccatis condonandis, & justitia in illis puniendis. Huic è regione respondet decretum posterius, nempe decretum de medio ad finem illum obtinendum necessario: puta de peccato permittendo, atque etiam procurando. Scripsi autem ego, *Deum non potuisse ad finem illum pervenire nisi per peccati permissionem,* paginā Refutat. 168. & 169. Hanc sententiam refutaturus Bertius, affirmat Deum potuisse prius decretum evertere. Ego verò istud pernego. Decreta enim Dei omnia immutabilia sunt: nec fert natura ejus sapientissima ut ullum decretorum suorum evertat. Ad contrarium verò probandum affert Bertius dictum Antonii oratoris apud Ciceronem, dicentis, *incidi omnem deliberationem, si intelligatur non posse fieri.* At primùm iniquum est consuetudinem deliberandi humanā tanquam regulā statuere deliberationis divinæ. Deinde Antonius loquitur de re quæ simpliciter non potest fieri: at decretum divinum de quo hîc sermo est, est de re quæ non potuit aliter fieri *ex hypothesis*: nempe de patefactione divinæ misericordiæ & justitiæ: hæc n. non potuit fieri nisi interveniente peccato. Adhæc falsum est, *Deum contra naturam suam facere, si decernat permittere, atq<sup>3</sup> etiam gubernare, peccatū: idq<sup>3</sup> ad gloriā suam.* Congruit n. tale decretū cū potestate & sapientia ipsius. Pergit: *Quæ quū ita sint*

13.

14.

15.

16.



- quàm ineptum est, eâ necessitate Deum adstringere ut velit malum: ac postea dicere, hoc ipsum tamen quia à Deo fit, malum non esse. Respondeo: Sanè Deus per naturam suam nullâ necessitate adstringitur ut velit malum, id est peccatum: nempe ut velit illud permittere atque procurare: nam per naturam suam posset id non velle: attamen quum liberè decrevit patefacere misericordiam suam in peccatis condonandis, & justitiam in peccatis puniendis; ipse se hac necessitate adstrinxit, ut etiam decerneret peccatum & permittere & procurare: quia illud sine isto effectum dare non potuit. Præterea falsum assumit Bertius, dum innuit nos docere, quòd malum (id est, peccatum) à Deo fiat. Delabitur à Velle ad Facere: atque ita confundit diversa. Deus vult quidem malum eo modo qui dictus est: at hinc non sequitur, quòd faciat malum. Vult permittere ut fiat malum: at non vult ipse facere malum. Pergit, *Miserum est, fateor, posse malum: & tamen hoc ipsum peccatum non est: sed multo miserius est velle malum, sine quo voluntatis languida torperet effectus. At Piscatori parū est dicere, quid possit Deus: ipsum ille (ut intellexistis) velle & decernere malum Deo adscribit.* Respondeo: Scriptura sacra hoc Deo adscribit, dum docet, *Deum decrevisse alios hominum servare ex misericordia, alios verò perdere ex justitia, Rom. 9. v. 22. & 23.* Hinc n. necessariò sequitur, eum decrevisse quoque malum, id est, peccatum: quia secus decretum illud prius frustra fuisset. At Deus nihil frustra facit. Etsi autem Deus eatenus vult malum, quatenus eo vult uti ad bonum: tamen non ita illud vult ut ipsum approbet, eòve delectetur.
17. Pergit: *Quid quòd ad hoc malum negat (Piscator) patuisse Deo viam nisi per improbam fraudem?* Respondeo: Hoc mihi Bertius per calumniam, eamq; atrocem impingit. Ego scripsi, *Deum non potuisse ad patefactionem suæ misericordie & justitiæ pervenire aliter quàm per peccati permissionem:* quid cum hac sententia simile habet illa quam Bertius hîc mihi tribuit? Pergit: *Itaq; excusans dicit, Quid faceret? Non potuit secus.* Respondeo: At quidnam est illud quod ego de Deo scripsi, non potuisse secus? Nempe non potuisse secus quin peccatum permitteret, si misericordiam & justitiam suam patefacere vellet. At quid hoc facit ad probandum crimen illud quod Bertius hîc mihi affingit, nempe *Deo ad malum (id est, peccatum) non patuisse aliam viam nisi per improbam fraudem?* Itaq; calumniosè dicit, me hîc Deum excusare. Pergit: *Fingit (Piscator) Deum, quum finem sibi proposuisset non bonum, imò verò à naturâ suâ & bonitate alienum, veteratoria (prò pudor) usum calliditate: & quia aliter non potuit, obliquasse finem & procurasse peccatum hominis, ut hominem justè perderet. Qui stadium currunt, debent illi quidem quam possunt maximè eniti ut vincant: sed supplantare eum quicum certant, aut manu vel qua-*

vel qua-



vel qualicumque astu depellere, nullo modo debent. Etiam in certaminibus *εἰς τὴν ἀθλήσιν, ὅτι σεφάντων, εἰς τὴν μὴ νομίμως ἀθλήσιν.* (Et in margine, *Etiam si quis certaverit, non coronatur tamen, nisi legitimè certaverit, 2. Tim. 2. 5.*) Et putamus nos Deum, quia aliter non potest, gloriam sibi quærere ex veteratoria quadam & improba hominem circumveniendi calliditate? Absit. Quin potius iudicamus, & finem illum quem Deo adfingit Piscator, in Deum non cadere, & pharisaicum istiusmodi ab ipsius natura abhorere. Respondeo: Valde disertum & copiosum (vel potius verbosum) in calumniando hîc se præbet Bertius. Ait, me fingere Deum finem sibi proposuisse non bonum. At primò finem quem ego Deo in pericope illa quam oppugnat Bertius, attribui, nō finxi: sed è sacra scriptura depromsi: nempe, *Deum sibi proposuisse aliquos hominū ex misericordia servare, alios verò ex justitia damnare, pag. Refut. 168. & 169.* Hunc finē creationis hominū apertè tradit Apostolus Rom. 9. v. 22. & 23. Deinde miror, quòd Bertius audet hūc finē appellare *non bonum.* An ergò dici potest aliquid esse non bonum, quod sacra scriptura Deo tribuit? Quod verò hîc garrît, & verbosè exaggerat, de veteratoria calliditate quam ego Deo ad finem illum ipsius consequendū tribuam: id totum mēdax & calumniosum est. Etenim quū Deus procurat peccata (id quod eum facere scriptura testatur) nihil callidè, nihil veteratoriè, nihil improbè agit: sed agit sanctè & sapienter: sicut agit, quicquid agit. Pergit: *Postremum, videte an non planè convenient quæ Piscator voluit esse dissimilia? Tiberius enim utut potuerit ad finem suum improbum aliter pertingere, certè non potuit nisi per peccatum, ut jam antè ostendimus: Deus verò nullam aliam, fatente etiam ipso Piscatore, viam ingressus est, neque verò ingredi potuit, quàm viam peccati. Ubi ergo dissimilitudo?* Respondeo: Dissimilitudo, eaque ingens, est in hoc; quòd Tiberius non potuit ad finem suum pertingere, nisi peccatum ipse committeret: Deus autem non potuit ad finem suum pertingere, nisi peccatum permitteret: quam permissionem ego in via illa indicanda nominatim expressi. Deinde comparatio ista nihil facit ad refutandam meam reprehensionem, quâ dixi, dissimilitudinem sese offerre in hâc parte, quòd Tiberius aliâ viâ ad strangulationem virginū pervenire potuerit, nempe per contemptum moris patriæ: Deus autem non potuerit ad fines suos pervenire aliter quàm per peccati permissionē.

Atque hæc tot & tanta sophismata Bertio adhibere visum est ad refutandam reprehensionem illam, quâ dissimilitudinem inter actiones illas Tiberii & decreta divina in modo agendi ostendi.

Undecimo loco respondet ad dissimilitudinem aliam, quam proposui his verbis, pag. Refut. 169. *Adhac dissimilitudo in eo quoque est, quòd*

G

21.



Pag. 26.

Tiberius mandavit strangulari & stuprari virginem innocentem: at Deus non punit nisi nocentes: nec peccatum mandavit, sed vetuit. Respondet Bertius: Hac dissimilitudo in eventu ultimo omnium decretorum consistit. Ego verò discrimen quidem in hac parte aliquod agnosco: sed tale quod Piscatoris causa officiat. Fingit enim, bonum illum & beneficium Deum ipso quoque Tiberio nequiores: quandoquidem iste virgines illas in quas scire statuit, nō facit peccatrices: quum ille ex mēte Piscatoris id faciat. Tiberii decretum est ut vitentur virgines: quod quidem invitis fieri potuit: unde autem abest voluntas peccandi, inde etiam peccatum abesse meritò creditur: neque enim peccat cui præter voluntatem infertur vis: At Deus Piscatori, quandoquidem opus habet peccatore, subordinat & subternit fini à se destinato peccatum; nec vult in hominum potestate amplius sit, non peccare: sed vult ipsos id velle & sponte agere atque etiam præeligere. Cur? Quia alioqui nunquam esset perventurus ad fines illos suos principales. Respondeo: Quid verò tam rectè dici à me potest, cui Bertius calumniam aliquam non possit affricare? Fatetur, dissimilitudinem à me propositam, esse veram: veruntamen ut habeat quod calumnietur, discrimen quærit in objectis: Tiberium mandato suo virgines illas non fecisse peccatrices, Deū autem ex mente Piscatoris hominem fecisse peccatorem: quatenus peccatum fini à se destinato subordinavit, & reliqua quæ addit. At num hinc sequitur ista blasphemia, Deum Tiberio esse nequiores? Imò quum Deus peccatum fini à se destinato subordinavit, sanctè egit: sicut omnia sanctè agit: ut ut rationi humanæ secus videatur. Nec ipse peccatum in homine effecit: sed tantum procuravit ut diabolus eum tentaret, permittebatque ut ille in tentatione succumberet. Qua in re quis illum iniustitiæ accuset, quum homini non fuerit obligatus ad dandum ei in tentatione victoriam? Pergit: Neque eluitur crimen eo quòd dicit Piscator, Deum peccatum illud vetuisse. Quid enim juvat vetare quod velis? & vetare quidem inefficaciter, velle autem efficacissimè? ut quum feceris quod in speciem fuit prohibitū, feceris omnino id ad quod potentiore voluntate fueris quasi pertractus? Qui ita vetat, nōne videtur insidiari, & propterea jubere, ut posito præcepto efficiat postea ut violes præceptum: utque ita occasionem habeat seviendi in te: qui nisi majore vi fuisses constrictus, potuisses esse innoxius? Respondeo: Quæ hinc satis verbosè dicit Bertius, locum habent in homine, non autem in Deo. Homo si ideo aliquid mandat, ut is cui mandat, mandatum transgrediatur, atque ipse hoc modo occasionem nanciscatur puniendi illum, peccat contra legem charitatis: at Deus quum idem facit, non peccat: quia planè peccare non potest. Etsi interim ratio nostra justitiam illam Dei non assequitur. Deus mandavit Pharaoni ut dimitteret populū Israëliticum: idque

Pag. ead.





idque ideo ut is mandatum illud transgrediretur, & ipse per hanc transgressionem nancisceretur occasionem multis ac variis plagis eum afficiendi, atq; ita potentiam suam in illo ostendendi, teste Apostolo Rom. 9. v. 17. Quis autem pius Deum propterea alicujus peccati infimulet? Pergit: *Quid autem de isto dicam voluntatum dissidio?* Et hinc recitat versus Homericos ex lib. 9. iliadis, ubi Achilles de promissis Agamemnonis per Ulysssem expositis ait, *sibi exosum esse illum*

*Tectum aliud qui corde gerit, quàm lingua loquatur.*

Respondeo: Primùm nusquam ego doceo, in Deo esse voluntatum dissidium. Neq; hoc sequitur ex eo quòd doceo, Deum vetuisse ne peccaret Adam, & tamen voluisse ut peccaret. Quæ duo etsi ratio humana conciliare non potest: pius tamen peccatus credit utrumque, quum cognoscit utrumque tradi in verbo Dei. Deinde ineptè ista sententia Homerica huc adducitur. Ibi enim sermo habetur de promissis: hinc autem de mandatis. Postremò hunc locum concludit Bertius isto syllogismo.

*Qui crudelitatem Deo adscribit crudelitate Tiberii majorem, seq; id facere dicit, quia Deus aliter nõ potuit: quiq; peccatum concipit ordinatum ad finem, & idem illud ponit pro medio: is non eximit Deum culpa, sed involvit.* Pag. ead.

*Illud facit D. Piscator. Ergo & hoc.*

Resp. Sophisticatur hoc loco Bertius per fallaciam pluriũ interrogationum. Admiscet n. vera falsis, & hæc æquè atq; illa pro veris obtrudit. Propositio syllogismi vera est ex parte membri prioris: falsa ex parte membri posterioris. Assumptio autem ex parte membri prioris est falsa: ex parte membri posterioris vera. Fiant jã duo syllogismi: & apparebit, neutro concludi propositum: idque propter falsitatem assumptionis in uno, & propter falsitatem propositionis in altero. Subjungit: *Ubi nũc est, reverendi fratres, calumnia crimen? ubi atrox illa de qua tantopere apud vos questus fuerat Piscator injuria. Nunc n. deducto conopeo videtis, cum Tiberianis deliberationibus omnia ista Piscatoris placita congruere.* Resp. Ego verò cõfido, reverendos fratres ex allatis meis ad apologiam & oppugnationem Bertii responsionibus visuros, illum præter sophismata nihil in medium attulisse; ac proinde calumniæ crimen adhuc in ipso hærere. Verùm non contentus epilogo allato Bertius, annectit (nempe oratorũ more *δεινώσεως ἐνεκα*) exclamationẽ hanc ad movendos affectus, & animos honorũ in odium mei inflammandos: *Ignosce, õ bone Christe, Ecclesie tue doctoribus, qui de Deo tam impia & profana quum non vereantur docere, loqui, scribere: tamen audent publicè in totius mundi conspectu id negare: eosq; qui errorem istũ verècundè ipsis commonstrant, atrocis calumnie apud fratres suos deferre.* Excita viros bonos qui



*profanam istam illorum licentiam sanis consiliis compeſcant.* Respondeo: An ista quæ de Deo docui & scripsi, profana & impia sint: iudicent qui iudicare possunt: sed iudicent ex verbo Dei, in quo doctrinam meam fundatam esse confido. Itaque iure id nego: nec Bertius errorem doctrinæ meæ ullum mihi monstravit. Ego verò Deum oro ut istam in Bertio libidinem atque petulantiam calumniandi & sophisticandi compeſcat. Addit: *Non utar hoc tempore vehementiore oratione, memor mei, memor Christi; tamen non desit, quod pro convictio illo queam reponere.* Respondeo: Ego verò nego Bertium convictio à me affectum, quum de atroce illa eius calumnia questus sum. Scapham enim scapham nominavi.

Pag. 27.

Duodecimo loco oppugnat Bertius hæc mea verba, quæ habentur Refutationis meæ pag. 169. *Decretum de finibus est, quòd Deus decreverit hominum alios creare ad salutem, alios ad interitum.* Respondet Bertius, *Hic verò in tam paucis verbis multa desidero. Primum est, quòd decreta tam diversa, tam multa, faciat unum decretum. Negari enim non potest, quin diversa & subiecto & predicato sint, Hi illi salvabuntur, Hi illi peribunt. Præterea, quot sunt singularia, tot necesse est numero sint distincta decreta.* Respondeo: Quid verò hic attinebat nodum in scirpo quærere, nisi vitiligatorem agere Bertio placeret? An non Apostolus quum de prædestinatione complurium, atque ad eò prædestinatorum sive electorum singulorum, loquitur, utitur vocabulo numeri singularis? Rom. 8. v. 28. *Novimus autem iis, inquit, qui diligunt Deum, omnia simul conferre ad bonum, iis qui EX PROPOSITO (ἐξ ἐπιθέσεως) vocati sunt.* Item Petrus in principio prioris sive epistolæ, *Advenis dispersis per Pontum, Galatiam &c. electis, EX PRÆDECRETO (ἐκ τῆς ἐπιθέσεως) Dei patris.*

Pag. 28.

Pergit: *Ad hæc, quid causæ est cur decreta ista, quum sint conclusiones de singularibus, concipiat in mente divina sine ullo universali? Consulat ipse animum suum, in quo imaginem aliquam divine mentis residere non negaverit: videatque an de filiis suis possit statuere, Ego hunc illum exheredabo, istum verò honorum meorum participem esse volo, sine antecedente ullo universali? Quod si ita est, jam necesse est in divino consilio præcesserit aliquod καὶ δόλος, puta, Quisquis crediderit, salvabitur: & contra, Quisquis non crediderit, condemnabitur: ut postea ἐξ ἐπιθέσεως istorum aut illorum, decretum electionis & reprobationis fiat, hoc modo, Istum ego salvabo, illum ego condemnabo.* Respondeo: Non sequitur, Homo quum aliquid de re singulari decernit, fundat se in aliquo universali: Ergo similiter facit Deus. Etsi enim in animis nostris imago aliqua divine mentis residet: tamen mens illa prima & ἀρχέτυπον & haud dubiè in infinitum perfectior est, ita ut tali discursu non egeat. Deum autem in illis suis de-

cretis



cretis non usum tali ratiocinatione, qualem hinc necessariò tribuendam ei putat Bertius, planum evadit ex eo, quòd ista ratiocinatio nititur falso fundamento, quòd scil. Deus ex prævifa fide aliquos servare, itemque ex prævifa incredulitate alios damnare decreverit. Pugnat enim hoc cum scriptura, quæ docet, *Deum prædestinasse nos in adoptionem ex beneplacito voluntatis suæ*, Eph. 1. vers. 5. Item, fidem esse prædestinationis effectum, Roman. 8. v. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit*. scil. efficaciter: id est, fide donavit: quia continenter additur, *Et quos vocavit, eos etiam justificavit*.

Pergit: *Neque caret errore conceptus ille finium diversorum, boni inquam & mali. Quomodo enim extrema plura esse possunt, quum ultimum tantum sit unum? Et quomodo malum finis rationem induit, quum bonum & finis sint ἀντίθετα?* Respondeo: Fines diversi, quos ego è scriptura statuo, sunt hi duo: quòd Deus decreverit hominum alios creare ad salutem, alios ad interitum, Rom. 9. v. 21. 22. & 23. Hi fines non sunt ultimi: sed subordinati sunt fini ultimo, nempe patefactioni gloriæ Dei: tum misericordiæ scil. in salute electorum, tum justitiæ in interitu reproborum. Nec verò finis illorum alter malus est. Etsi enim reprobis malus, id est, molestus est ipsorum interitus: tamen Deo est bonus, quatenus est justa illorum pœna.

Decimotettio loco recitat meum syllogismum, quem ad demonstrandum illud Dei de finibus decretum adhibui: & posteaquam in syllogismo illo cavillatus est prolixitatem, obscuritatem & annexum prosyllogismum, tandem negat assumptionem, nempe pronuntiatum hoc, *Deus creavit hominum alios ad salutem, alios ad exitium sempiternum*. Contra quod sic disputat. *Poteram hoc loco dicere: Si alios creavit ad salutem primò, alios ad exitium; neque mutari cujusquam status potest: quid causæ est cur rogemus Deum ut opera diaboli destruat, ut magnam sibi ecclesiam colligat, ut multos ad resipiscentiam trahat, ut prædicationi verbi sui benedicat?* Respondeo: Etsi Deus alios creavit ad salutem, alios ad exitium, neque status cujusquam mutari potest: tamen satis causæ est cur illa quæ hinc recitat Bertius, facere debeamus: nimirum quia Deus ut ista precemur, nobis præcepit: & quia per prædicationem verbi sui electos fide donare, atque ita ad salutem adducere constituit: juxta sortem illum Paulinum quo aurea salutis catena continetur, Rom. 8. v. 29. & 30.

Pergit: *Hujus, tam duri, tam horridi, tam (ne quid dicam asperius) contraversi effati debebat afferi clara aliqua, perspicua, & efficax demonstratio*. Respondeo: Attuli: nempe testimonium Apostoli Roman. 9. v. 21. ubi dicit, *Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud qui-*



Ibidem.

*dem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Contra hanc probationem excipit Bertius, adeò obscurum esse illum locum ut vix alius exstet in sacris literis obscurior, & de cuius intelligentia diu multùmque hætenus variantibus sententiis à viris magnis disputatum est. Respondeo: Locus ille minimè obscurus est, sed satis clarus, si nos dociles præbecamus: & sensum illius ex ipsa serie sermonis petamus: & denique rationis nostræ naturalis iudicium claris Dei verbis subjiciamus. Propositum est apostolo in illo capite, doctrinam de justificatione hominis gratuitâ per solam fidem in Christum crucifixum vindicare à scandalo quod tunc oriebatur ex incredulitate magnæ partis Judæorum doctrinam illam repudiantium, & contententium, hominem coram Deo justificari ex observatione operum legis. Ne ergo fideles Judæi incredulitate illâ offenderentur, & de veritate doctrinæ illius Pauli dubitarent, docet incredulitatem illam pendere à voluntate Dei: ut qui non omnes Israëlitas ad salutem, ac proinde ad fidem in Christum, prædestinarit: sed aliquos ad interitum, ac proinde ad incredulitatem. Hoc liquet primùm ex illa protestatione qua statim in principio capitis utitur, jurejurando affirmans, exitium illud magnæ partis Judæorum ad quod à Deo destinati sint, magnum sibi dolorem atque cruciatum afferre, quinque primis versibus. Deinde idem liquet ex verbis illis, *Non omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël: Neq; quia sunt semen Abrahæ, ideo omnes sunt filii: sed, In Isaac vocabitur tibi semē. Hoc est, non qui filii carnis, ii filii Dei: sed qui sunt filii promissionis, censentur in semine. Promissionis enim sermo hic est, Hoc ipso tempore veniam, & erit Sara filius, v. 6. 7. 8. & 9. Ubi per filios promissionis intelliguntur electi: quia sicut Isaac vi promissionis ex Abrahamo & Sara fuit genitus, ita electi vi Spiritus S. per Evangelii promissionem regenerantur, & ex singulari gratia in filios à Deo adoptantur. Tum idem ostendit Apostolus ex alio exemplo, duorum scilicet filiorum Isaac & Rebeccæ, sic pergens, *Neq; hic solum: sed Rebecca, quum ex uno concepisset, ex Isaac patre nostro, hæc experta est. Nondum enim natis (gemellis Rebeccæ) quum nihil fecissent boni vel mali: ut propositum Dei quod est secundum electionem maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Major serviet minori: sicut scriptum est, Jacobum dilexi, Esavum verò odio habui. vers. 10. 11. 12. & 13. Quâ sententia quum videret Apostolus rationem humanam offendi, continenter subiecit, *Quid igitur dicemus? Num injustitia est apud Deum? vers. 14. Huic objectioni respondet, Absit. nam Mosi dicit, Miserebor cuius miseratus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero, vers. 5. Quibus verbis iustitiam Dei in negotio electionis vindicat****

dicat



dicat à Dei potestate. Quam mox expressè asserit, ex dicto illo Dei inferens, *Nempe igitur non est ejus qui velit, neque ejus qui currat, sed misereantis Dei*, v. 16. Tum illam Dei potestatem ostendit ex verbis ipsius de Pharaone, sic pergens: *Dicit enim scriptura Pharaoni, Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in tota terra.* Postea ex illis verbis infert, *Itaque cujus vult miseretur: quem autem vult indurat*, vers. 17. 18. Quâ sententiâ quum rursus offendatur ratio humana: introducit induratum aliquem qui Deum infimulet injustitiæ, his verbis: *Dices ergo mihi, Quid adhuc culpat? Nam voluntati illius quis restitit?* v. 19. Hoc rationis humanæ adversus indurationem Dei murmur compescit Apostolus his verbis, *Imò verò ô homo, tu quis es qui ex adverso responsas Deo?* v. 20. Quibus verbis satis clarè docet, Deum nemini facere injuriam, etiamsi quos vult, induret. Deinde ut potestatem illam & liberam voluntatem Dei in indurandis hominibus adhuc magis ostendat, ascendit altiùs, & affirmat, Deum pro liberrimâ suâ potestate alios condidisse ad decus, alios verò ad dedecus: nec tamen fas esse illi qui ad dedecus conditus est, ut hoc nomine cum Deo expostulet. Hoc autem probat ex eo quòd creaturæ non sit fas expostulare de sui creatione cum creatore. quod ipsum similitudine figuli illustrat, dicens: *Num dicet figmentum fictori, Cur me fecisti sic? An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eâdem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?* vers. 20. & 21. Et mox similitudinem hanc declarans, & ad creationem hominum applicans, vasa facta ad decus nominat *vasa misericordia*: vasa verò facta ad dedecus, appellat *vasa ira*, vers. 22. & 23. Ex quibus verbis planum est, eum per vasa illa intelligere homines à Deo creatos ad exercendum erga eos vel misericordiam vel justam iram. Sic jam ex ipsa serie sermonis apostolici clarum est, dictum illud de duplicibus vasis, rectè à me ad probandum syllogismi mei assumptionem citatum esse.

Sed contra hanc meam expositionem excipit Bertius, *B. Petri vox* Pag. 29. est, Πᾶσα ἀρεθρηλεία γραφῆς, ἰδίας ἐπιλύσεως ἔ γίνεται, 2 Petr. i. v. 20. Et tamen ipse (Piscator) hoc sibi sumit, ut verba ista pro suo arbitrio exponat. Respondeo: Expono ista verba ex sermonis Paulini cohærentia, absq; ullâ detorsione à simplici & genuina verborum significatione: sicut æquo & intelligenti lectori patère potest ex illis quæ ad declarandum illam capituli noni ad Romanos partem modò attuli. Non ergo illa verba expono ex meo arbitrio. Hoc verò crimen in ipsum Bertium cadit: ut postea suo loco apparebit.



Ibid.

Pergit: Monet idem (neque id negaverit Piscator) in B. Pauli epistolis multa esse δυσνόητα: ac ne quis temere ad eorum decisionem profiliat, ostendit non leve subesse huic audaciae periculum; ipse tamen neq; admonitione apostoli, neq; periculi commonstratione absterretur quo minus rem audeat maximi discriminis. Respondeo: Primùm non fuit opus ista parenthesi, Neque id negaverit Piscator. Non enim habere potest Bertius justam causam dubitandi de me, an forte negaturus sim, vel Petrum istud scripsisse, vel id quod scripsit verum esse. Neque verò ego temerè vel audacter ad decisionem verborum illorum Pauli Roman. 9. v. 21. 22. & 23. (de quibus nunc inter nos agitur quæstio) profilii: sed ratione officii mei ita postulante, ante aliquot annos totum illud caput, quum in schola explicandum mihi esset, in timore Domini, consulens quoque doctissimos interpretes, Bucerum, Calvinum, Bezam, expendi, atq; in eum sensum quem in meo in epistolam ad Romanos commentario tradidi, quemque adhuc pro genuino habeo, exposui. Quale verò est istud enthymema: In epistolis Pauli sunt multa δυσνόητα, difficilia intellectu: quæ indocti parùmque stabiles detorquent (ut & reliquas scripturas) suo ipsorum exitio: Ergo Piscator egit temerè & audacter, quòd dictum illud Pauli Rom. 9. v. 21. 22. & 23. exposuit. An ergo doctori verbi Dei non licet exponere δυσνόητα? Item ea quæ indocti parùmque stabiles detorquent suo exitio?

Ibid.

Pergit: Quis enim in epistolis B. Pauli est locus, quæ sententia, quæ pericope, quæ periodus, quod incisum, quod non sanctitatem manifestam & pietatem & justitiam spiret? aut de quo hæc B. Petri commonefactio possit intelligi? Nam quod Piscator alicubi de epistola ad Hebræos narrat, non meretur refutationem. Solus hic locus propter verborum obscuritatem καὶ τὸ ἀνακόλαστον καὶ γῆμα λέξεως non attendentibus ad scopum Paulinæ disputationis difficultatem præfert. Respondeo: Primùm qualis est hæc probatio ejus quod præcessit? In epistolis Pauli omnia spirant sanctitatem, Ergo Piscator audacter fecit, quòd dictum illud Pauli Rom. 9. v. 21. 22. & 23. exposuit. Deinde quid hoc ad reprehendendum meam illam expositionem? An igitur per eam efficitur ut dictū illud Pauli desinat spirare sanctitatem, pietatem & justitiam & quidem manifestam? Imò manifestè spirāt pietatem tum verba illorum versuum, tum alia, si sic intelligantur ut ego exposui. Pium utique est, dolere propter aliorum à fide in Christum, atque ita à vita æterna, rejectionem. At hoc facit Paulus primis quinq; illius capituli versibus. Pium est, promissionem Israëlitis factam rectè interpretari, indicando scil. illam pertinere ad solos electos. Hoc facit ibidem Paulus, versu sexto & sequentibus usq; ad decimum quartum. Pium denique est justitiam Dei  
contra



contra perversum iudicium rationis humanae & voluntatis humanae murmur asserere. Hoc facit Paulus ibidem versu 14. & sequentibus usq; ad vigesimum quartum: in qua pericope illa quoq; sententia quam hoc loco oppugnat Bertius, continetur: nempe Deum condidisse aliquos hominum ad exitium sempiternum. Nihilominus tamen tantum abest ut ista sententia Bertio videatur spirare pietatem, ut è contrario appellet *effatum durum & horridum*. Verùm quia affirmat, nullam esse in epistolis B. Pauli sententiam, quæ non spiret pietatem: cogitur velit nolit concedere, illam quoque pietatem spirare. Pag. 29.

Quòd autem commonefactionem illam B. Petri ad unum hunc Pag. 30. locum B. Pauli restringit: quì convenit ista restrictio cum ipsis Petri verbis, qui dicit, inter ea de quibus Paulus in suis epistolis scribit, vel (secundùm aliam lectionem) in ipsis Pauli epistolis, esse *δυσνόητά πνα*, *difficilia intellectu* QUÆDAM. Imò quì convenit cum verbis ipsius Bertii, qui dicit, B. Petrum monere in B. Pauli epistolis *δυσνόητα* esse *MULTA*? Porro quòd loco illi Paulino (sive unicam illam sententiam de qua nunc inter nos agitur quæstio, sive totam illam pericopen, nempe primam capituli noni partem intelligat) tribuit *τὸ ἀνακόληθον*, id est, inconsequentiam Ibidem. sermonis: non video quo jure faciat. Equidem ex mea quam attuli illius pericopes analysi, liquere puto, omnia illius membra optimè inter sese cohærere, neque quicquam inconsequens aut hiulcum ibi contineri, quod ad ipsas quidem sententias attinet. nam alioquin ellipsis quædam occurrit versu 22.

Quòd eundem locum obscurum esse dicit propter *ἄημα λέξεως*, videtur dicere velle, in eo esse locutiones metaphoricæ, ac proinde ambiguas. Sed ex consequentia sermonis facilè intelligitur, apostolum per vasa iræ & misericordiæ intelligere homines in quibus Deus velit exercere iram vel misericordiam. Interim hîc notandum, Bertium termino illo Aristotelico, *ἄημα λέξεως*, non uti ex mente Aristotelis. Is enim intelligit duas voces quæ habent eandem terminationem, diversam autem significandi rationem. Verbi gratiâ, *ὕγιαίνειν* & *τέμνειν*: quorum verborum illud significat præditum esse quodam habitu, nempe sanitate: istud verò significat aliquid agere, puta secare. Inspiciatur locus Sophist. elench. lib. 1. c. 3. in fine.

Hoc autem rectè dicit Bertius, *Locum illum Paulinum difficultatem præ se ferre NON ATTENDENTIBUS ad scopum & finem Paulinae disputationis*. Hunc verò scopum quum ego per Dei gratiam animadvertierim, & in mea expositione ad illum attenderim, difficultatem illam intellectio- nis beneficio Dei superavi. H



Unum adhuc monere hinc oportet: quod ait Bertius, non mereri refutationem, quod ego commonefactionem illam Petri retuli ad dicta illa epistolæ ad Hebræos, quæ leguntur cap. 6. v. 4. & deinceps, item cap. 10. vers. 26. & sequentibus, de conversione apostatarum. Quæ tamen loca quia à Novatianis non fuerunt intellecta, ausi sunt illi negare lapsis veniam, qui pœnitentiâ ducti in ecclesiam iterum recipi petiverunt.

*Ibid.*

Pergit: *Quibus autem id contingit?* (Nempe ut locum illum Paulinum *δυσνόητων* detorqueant ad suam perniciem.) *Primum quidem imperitis, indoctis, Apostolici sermonis ignaris, neque habentibus sensus in scriptura sacra exercitatos: postea ἀσθενήτοις, instabilibus ac fundamentum ipsum pietatis, animis nostris à Deo impressum, insculptum, atque in divinis literis expressum clarè, ac manifestatum, deserentibus. Scit ista & agnoscit Piscator: & tamen δυσνόητων illum locum accersit ad theses tam paradoxæ probationem.* Et ad hoc probandum, in margine remittit lectorem ad Analysin meam in hunc locum. Inspiciat igitur Christianus lector illam meam analysin; & in timore Domini, seposito præiudicio, diligenter consideret atque perpendat: comperiet, ut in Domino confido, sententiam illam de qua hinc inter me & Bertium controvertitur, in illo loco contineri: ac proinde immeritò, imò blasphemè, thesin paradoxam ab illo nominari. Si modò intelligat, ut haud dubiè intelligit, paradoxum pugnant cum veritate cælesti in verbo Dei tradita. nam effatum illud paradoxum tale esse quod pugnat cum iudicio humanæ rationis, facilè concedo. Sed quid sibi vult, quod me Bertius in numero illorum habet quos hinc partim verbis B. Petri, partim suis ipsius describit: nempe imperitorum, indoctorum, Apostolici sermonis ignarorum, & reliqua quæ addit? Ego verò contra iniquum istud Bertii de me iudicium partim iudicio æquiore multorum doctorum piorumque virorum, partim bonitate conscientiæ meæ me confolor. Negabit fortasse, me ab ipso imperitis illis &c. esse annumeratum. Ergo operæ pretium est ut id demonstrarem. Ratiocinatio ejus hæc est:

Obscuritas illius loci Paulini perniciofa est imperitis, indoctis &c. Ergo Piscator non debuit illum accersere ad theses suæ probationem.

Antecedens istius enthymematis habetur ibi, *Quibus autem id contingit?* &c. Consequens ibi, *Scit ista &c.* At quænam hinc dari potest ratio consequentiæ præter hanc, Quia Piscator est unus ex numero illorum imperitorum, indoctorum &c.

*Ibid.*

Pergit: *Cur non ex totius scripturæ genio, & naturâ boni, clementis ac benefici*



nefici Dei, imò & ipsius in nobis conscientia & spiritus melioris suggestione sapere maluit: quàm \* δυσνόητον & φαυλομένως horridam sententiam sequi: praesertim quum de periculo jam antè dictum sit, futurum, ut si quis hoc facere incipiat, reliquas scripturas sit contorturus ad propriam perniciem? Respondeo: Ego verò dum sapio ex doctrina apostoli Pauli, docentis, Deum aliquos hominum condidisse ad exitium sempiternum, Rom. 9. v. 21. & 23. non sapio contra genium totius scripturæ: quia hoc ipsum effatum est particula scripturæ: neque sapio contra naturam boni, clementis & benefici Dei: quia Deus nihilominus talis manet, ut qui erga illos quoque quos ad exitium condidit, bonum clementem & beneficum se exhibet in hac vita: secundum illud Abrahami ad divitem epulonem, *Fili memento, te bona tua recepisse in vita tua*, Luc. 16. v. 25. Neque sapio contra suggestionem ipsius in nobis conscientia. Quia conscientia nostra non extenditur ad actiones Dei: sed propriè occupatur in actionibus nostris ipsorum: quas quum recordamur esse bonas, conscientia bonâ fruimur: quum malas, conscientia malâ angimur & vexamur. Neq; sapio contra suggestionem spiritus melioris: quia spiritus melior (qui utiq; est Spiritus sanctus) nihil nobis suggerit quod cum effatis divinis (quale illud est quod Bertius hîc oppugnat) suggerit. Sed benè habet, quod ait hîc Bertius, *me secutum esse sententiam illam Pauli φαυλομένως horridam*. Ergo agnoscit, sententiam hanc, *Deus condidit quosdam homines ad sempiternum exitiû*, esse horridam φαυλομένως, ac proinde non ὄλιως: apparèter, non autem revera. Cur igitur illam tantis viribus oppugnat, tanquam profanam & impiam?

\* Puritas  
 lingua Gra-  
 ca postulat  
 dici δυσ-  
 νόητον.

Adhæc falsò interpretatur commonefactionem illam B. Petri, 2. Pet. 3. v. 16. quasi is dicat, futurum, ut si quis horridam illam & δυσνόητον sententiam Pauli sequatur, reliquas scripturas sit contorturus ad propriam perniciem. At primò Petrus non ait, se loqui de ista sententia Paulina: sed in genere & indefinitè dicit, in epistolis Pauli quædam esse δυσνόητα, difficilia intellectu. Deinde non affert tale connexum, Si quis sententiam illam Pauli sequetur, is reliquas quoque scripturas contorturus est ad propriam perniciem: sed simpliciter & categoricè dicit, indoctos & instabiles δυσνόητα illa Paulina detorquere, ut & reliquas scripturas, ad propriam perniciem.

Pergit: *Divinam sanè apostoli predictionem ipse nunc in Piscatore eventus comprobavit. Posito namque hoc principio, nonne videmus omnem scripturam cû exhortationib. reprehensionib. comminationib. promissionibus, obtestationibus*



*omnibus repente fuisse subversam? Respondeo: Etsi Deus ex doctrina apostoli Pauli, quosdam homines condidit ad interitum, Rom. 9. v. 21. & 23. nihil tamen istorum absurdorum inde sequitur, quæ Bertius inde deducit. Primò non propterea subvertitur omnis scriptura: quia hoc ipsum effatum est pars scripturæ. Secundò non subvertuntur exhortationes: quia scopus illarum est ut qui ad salutem conditi sunt, per eas in fide & studio pietatis confirmantur, atque ita ad salutem promoveantur: qui verò conditi sunt ad exitium, culpæ suæ convincantur, ut qui sanctis exhortationibus non pareant, atque ita testimonio propriæ conscientiæ meritò damnentur. Idem est iudicium de reprehensionibus, comminationibus, promissionibus, exprobrationibus, obtestationibus, quibus Deus in scriptura utitur. Consideretur hîc dictum illud Christi de incredulis Judæis: *Si non venissem, & loquutus essem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato suo*, Johan. 15. v. 22. Item illud Pauli, de seipso & aliis fidei Euangelii ministris: *Christi bona fragrantia sumus Deo, in iis qui servantur, & in iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam*, 2. Cor. 2. v. 15. 16.*

*Ibidem.*

Pergit: *Non jam creditur B. Paulo dicenti, Deus vult omnes homines salvos fieri: non Johanni, Sanguis Christi est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis: non ipsi Christo dicenti, Filius hominis venit salvare quod perierat: & clamanti, Venite ad me omnes: Sed opponitur tam claris tamque suavibus istis aliquid alicunde ex epistola ejusdem B. Pauli conquistum de massa & luto, quumq; omnes in eo sapientes consentiant, ex symbolis & metaphoris cautè admodum argumentandum esse, placet tamen, allegorica illa propriis, obscura apertis Dei vocibus, & propriam interpretationem orthodoxæ priscae ecclesiæ consensui præferre. Respondeo: Primùm, quum ego dictum illud Pauli Rom. 9. v. 21. 22. & 23. profero ad probandum, Deum alios condidisse ad salutem, alios ad exitium sempiternum: non oppono illud dictis hîc recitatis. Neque etiam dictum illud reliquis istis revera oppositum est. Nam primò quòd dicit Paulus 1. Tim. 2. v. 4. *Deus vult OMNES homines salvos fieri*: per id non negatur, Deum aliquos homines condidisse ad exitium sempiternum, ac proinde non velle omnes (id est, singulos) homines, nullo excepto, salvos fieri: quia ibi per OMNES non intelliguntur singuli, sed omnis generis aliqui: sicut ex peristasi textus percipi potest. Præcipit ibi Apostolus, ut ab ecclesia preces fiant pro omnibus hominibus: & istud mox declarans, subjungit, *Pro regibus & omnibus in eminentia constitutis*. & tum inter alias istius præcepti rationes subjungit & hanc, *Quia Deus velit omnes homines salvari*, ubi planum est ex serie*

serie.



serie sermonis, per *omnes* homines intelligi *omnis generis* homines: puta reges & plebejos, & sic de aliis hominum generibus: sicut ista vox versu primo intelligitur. Secundò quòd dicit Johannes, 2. Joh. 2. v. 3. *Sanguis Christi est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi:* per id non negatur, Deum aliquos condidisse ad exitium sempiternum: quia Johannes vocabulo **MUNDI** non intelligit totum genus humanum, sed tantum credentes per totum mundum dispersos: ait enim, *Pro peccatis nostris:* quo nomine intelligit seipsum & credentes ad quos scribit. Deinde hoc amplificat comparatione majorum, *Nec pro nostris tantum, sed etiam totius mundi.* Comparatio autem est homogeneorum. At increduli quorum in mundo maxima pars est, credentibus heterogenei sunt. Tertiò quod Christus dicit Matth. 18. v. 11. *Filius hominis venit salvare quod perierat:* id non est dictum sensu universali, quasi dixisset, **QUI QUID** perierat. Secus non posset consistere alterum illud ejusdem Christi dictum, *Ad judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant,* Johan. 9. v. 39. Non pugnant autem inter se hæc duo effata, Christus venit ut servet aliquos qui perierant, & Deus homines aliquos condidit ad sempiternum exitium. Quartò quod Christus dicit Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes:* id non ita abruptè dicit, sed addit, *qui laboratis & onerati estis.* Id est, qui sentitis onus peccati, & eo levari cupitis. Hoc autem non experiuntur omnes in universum homines: sed plerique securè peccatis indulgent. Non pugnant autem inter se hæc duo pronuntiata, Christus promisit se refocillaturum eos qui onus peccati sentientes ad ipsum veniunt, & levationem oneris illius expetunt: & Deus homines aliquos condidit ad exitium sempiternum. Ad hæc falsò mihi tribuit Bertius, quòd argumenter hinc ex symbolis & metaphoris. Imò dictum Apostoli, ab ipso met à simili comprobatum, in testimonium sententiæ à me propositæ adhibeo. Dictum quod ut testimonium cito, est: Deus habet potestatem condendi aliquos homines ad exitium, atque adeò aliquos ita condidit. Argumentum à simili, ab ipso apostolo adductum, est: Figulus habet potestatem faciendi vasa quædam ad dedecus. Falsò etiam me criminatur Bertius, quòd hæc interpretatio sit mea propria. Nam eandem ante me attulerunt orthodoxi atque evangelici doctores, ii que magni in ecclesia nominis: ut Lutherus in libro de servo arbitrio, ubi locum 2. Tim. 2. v. 19. 20 & 21. explicans, inter alia dicit: *His absolvitur doctrina, quòd vasa non seipsa parent, sed herus.* Hoc vult & Rom. 9. quòd figulus potestatem habet &c. Item Calvinus commentario in hunc ipsum locum: ubi inter alia sic scribit,



Porro in aptanda similitudine hoc considera, Quemadmodum figulus nihil luto adimit, quamlibet illi formam dederit: ita QUACUNQUE hominem conditione creaverit Deus, nihil ei adimit. Tantum illud memoriâ tenendum, spoliari Deum honoris sui parte, nisi tale in homines imperium ei conceditur, ut sit arbiter vite & MORTIS. Item, Sic enim ratiocinatur (Paulus) Vasa sunt in exitium comparata, id est, devota & destinata exitio: sunt item vasa iræ, id est, IN HOC FACTA ET FORMATA, ut documenta sint vindictæ & furoris Dei. Item Beza in eundem locum sic scribit: Dico igitur, Paulum elegantissima istâ similitudine adhibitâ, ad ipsius Adami CREATIONEM alludere, & ad æternum usque propositum Dei conscendere: qui antequam humanum genus CONDERET, jam tum & in quibusdam, quos novit, per misericordiam servandis, & in quibusdam, quos etiam novit, justo iudicio perdendis, gloriam suam illustrare, pro suo jure & mera voluntate decreverit. Et certè nisi ita esse statuamus, maximâ injuriâ Deus afficietur: quia nec satis sapiens fuerit, qui prius homines CONDIDERIT, & corruptos sit intuitus, quàm QUORSUM EOS CONDERET constituerit: nec satis potens, si quum aliud de iis consilium cepisset, ab alio fuit impeditus quò minus quod volebat, assequeretur: nec satis constans, si volens & ultrò, post corruptum opificium suum, novum consilium cepit. Item Petrus Martyr in locum eundem: Paulus, inquit, hoc loco & propheta initio capituli (nempe Jeremias cap. 18.) agunt de illa voluntate Dei atque potentia, qua omnia jure optimo pro suo arbitrato & FINGIT, & refingit. Item, Certum est, Paulum hoc toto contextu retinere sensum utriusque loci: & Hieremie quòd simus ut lutum in manu figuli, qui FINGAT & refingat quicquid velit: & Esaie (scil. cap. 45.) quòd luto non liceat disputare cum fictore suo, aut illi de opere suo obloqui. Citat quoque Ambrosium his verbis, Ambrosius hæc exponens, primùm ait, Apostolum hoc ex Esaia proposuisse: & fatetur in potestate authoris esse, QUALEM velit CONDERE creaturam.

Pag. 30.

Pergit: Quid quòd Pauli illa præter allegoria obscuritatem hoc habent insuper, quòd pendulum lectorem relinquunt? Nam non de Deo proximè, sed de homine figulo capienda sunt illa quæ scripta sunt, Annon potestatem habet figulus in lutum, ut ex eâdem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus: deestque orationi sua ἀντιπρόσωπος. Respondeo: Etsi verba illa, Annon potestatem habet figulus &c. non de Deo, sed de homine figulo proximè capienda sunt: tamen capienda quoque sunt ἐπομένως, consequenter, de Deo: ita postulante illius loci scopo: & ipso Bertio innuente per vocem illam PROXIME. Itaque lectorem non relinquunt pendulum. Probaturus apostolus, homini non esse fas ex adverso respondere Deo: pro argumento affert hanc sententiam, Num dicet figmentum fictori, Cur me fecisti



*fecisti sic?* vers. 20. Quasi dicat, Sicut non est fas operi figlino litigare cum fictore suo: ita nec fas est homini litigare cum Deo. Quæ hîc est ratio consequentiæ? Utrique ista. Nam sicut potestatem habet figulus in opus à se fictum: sic Deus quoque potestatem habet in hominem à se creatum. Unde jam manifestum est, quod hic de figulo dicitur, principaliter de Deo intelligi. Apostolus autem mentione potestatis figuli in opus ab eo fictum factâ, altiùs ascendit: & eidem similitudini insistens docet, Deum non solum habere potestatem in hominem à se creatum, ut eum vel induret, vel ejus misereatur: sed etiam habere potestatem in hominem nondum creatum, ut creet eum vel ad gloriam vel ad interitum: sicut figulus potestatem habet ut ex eâdem luti massa faciat aliud vas ad decus seu usus honestos: aliud verò ad dedecus, seu usus turpes. Deinde falsum est, orationi illi suam deesse ἀνταπόδοσιν. Continetur enim illa (nempe implicite) proximè sequentibus duobus versibus, 22. & 23. Quod enim versu 21. dixerat de figulo, id jam expressè dicit de Deo, inquiens, *Quid si verò volens DEUS ostendere iram, & notam facere potentiam suã, pertulit multa lenitate vasa iræ* (quod quid aliud est, quàm HOMINES in quibus iram suam exercere decrevit?) *coagmentata* (utique ab ipso Deo: id est, creatos homines. Sicut enim vasa non seipsa coagmentant, sed figulus: ita nec homines, seipsos creant, sed Deus) *ad interitum*. Quid manifestius quàm hîc doceri, Homines aliquos à Deo conditos esse ad exitium sempiternum?

Pergit: *In hâc igitur ἀνακολεθία velle statim ex suo arbitrio periodum* Pag. 31. *supplere, & inferre ex conjectura quidlibet, quis non videt immanis rem esse audacia?* Hoc tamen Piscator non tantum facit: sed postquam fecit, audet in super ex suo supplemento, æquè atque ex claris Pauli verbis, ratiocinari, & totam ei fundamento Theologiam superstruere, etiam ad subversionem communis sensus.

Respondeo: Tota hæc periodus ex falsis criminibus, iisque benè multis, contexta est. Nam ad ἀνακολεθίαν quod attinet, jam modò ostendi, nullum in illis Pauli verbis, de quibus nunc disputamus, ἀνακολεθίαν esse. Ad crimina verò hîc mihi objecta quod attinet, primò falsum est quòd suppleam periodum ex meo arbitrio. Nam supplementum illud voculæ *QUID* in principio versus vigesimisecondi, à D. Beza suppletum est: idque rectè: postulante sic ipsa sententiâ: ut patebit lectori non contentioso, sententiam illam consideranti. Sensus autem illius supplementi pluribus tantum verbis à me in scholiis meis est



declaratus: idque convenienter stylo apostoli in hac epistola: ut percipitur ex illo ipso capite versu 14. & 30. Item ex cap. 8. vers. 31. & cap. 11. v. 31. Secundò falsum est, me inferre ex conjectura quidlibet. Nam supplementum illud non infarsi: nec infartum illud est à D. Beza ex conjectura, sed ipsorum verborum necessitate. Sed absque causa de hoc supplemento conqueritur Bertius. nam illo sublato, nihilominus salva manet sententia ista in illis verbis, *Quòd Deus homines aliquos condiderit ad interitum*: quam sententiam Bertius hìc oppugnat. Tertiò falsum est, tale supplementum ponere, rem esse immanis audaciæ. Est enim supplementum illud genuinum, & ad verba Pauli plenè intelligenda necessarium. Quartò falsum est, me ex illo supplemento ratiocinari. Provoco ad inspectionem meæ probationis. Ego verò hìc ratiocinor ex ipsis claris apostoli verbis, *Deus coagmentavit vasa quaedam ad interitum*: Ergo *Deus condidit homines quosdam ad interitum*. Ratio consequentiæ, quia per vasa à Deo coagmentata apostolus intelligit homines à Deo creatos. Quintò falsum est, me illi fundamento (nempe dicto supplemento) totam Theologiam superstruere. Probet hoc, si potest, Bertius. Postremò quid sibi velit per verba illa, *Ad subversionem communis sensus*: non satis assequor. Si intelligit, per istud supplementum subverti communem sensum: res ipsa reclamatur. Sensus enim illius supplementi est, Deum non esse accusandum injustitiæ: quæ sententia cum communi sensu, id est, iudicio rationis humanæ, non pugnat. Si verò intelligit, per effatum hoc quod ego ex verbis apostoli deduco, *Deus condidit homines quosdam ad exitium sempiternum*, subverti communem sensum, id est, iudicium rationis naturalis: non rectè pronuntiatum illud propterea rejicit, quia cum communi sensu pugnat. Nihilominus enim fide amplecti, contra communem sensum, illud debet: quia videt in verbo Dei fundatum esse.

Pag. 31.

Pergit: *Cur non maluit (Piscator) in molliorem aliquam, quàm in duram illam atque horridam sententiam inclinare?* Respondeo: Quia non est positum in arbitrio meo (sicut nec ullius hominis) in sacra scriptura interpretanda, quum occurrit sententia dura atque horrida (nempe iudicio humanæ rationis) ab ea declinare ad sententiam molliorem: quum id absque verbi divini detorsione in peregrinum sensum fieri non possit: quæ utique detorsio impia ac nefaria est. Durus erat sermo ille Christi, multis ex discipulis ejus, *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam*: at Christus non deflexit propterea sermonem suum in verba molliora: sed aliquid *μεγὰρ ὀξύτερον* subiecit: nempe carnem ejus etiam tunc in terra edendam fore, quum ipse jam in calum ascenderit;



derit, Johan. 6. v. 54. 60. & 62. Quid quòd hæc doctrina dura visa est ipsi apostolo? Hinc enim est quòd protestatur de suo dolore ob certum exitium magnæ partis Judæorum, statim in principio noni ad Romanos capitis.

Pergit: *Cur non maluit silere (Piscator) uti filet apostolus, quàm ita lo-* Ibidem.  
*qui? Ego verò nego, apostolum hîc silere. Loquitur enim, & expressè dicit, Coagmentata esse vasa quædam (id est, creatos esse homines quosdam) ad interitum, Rom. 9. v. 23.*

Pergit: *Hinc ergo ista fluxerunt, quæ quia ad nominis Jesu Christi faciunt* Ibidem.  
*contumeliam, non possunt à nobis hoc loco nisi cum præfatione veniæ & testificatione doloris nostri referri. Tum recitat ex disputatione mea adversus Schafmannû ista. (1) Deum quum vocat omnes, nolle ut veniant nisi pauci, hoc est, soli electi. (2) Significari interdum in verbo, Deum velle, quod tamen revera non vult: aut nolle quod revera vult. (3) Voluntatem ejus nonnunquam pugnare cum præcepto. (4) Multa ipsum velle quæ verbo significat se nolle. (5) Electos nullis peccatis suis posse à dilectione Dei separari. (6) Nullis unquam flagitiis fidem perdere. (7) Peccata ipsorum non tantum nõ officere, sed etiam proficere ad ipsorum salutem. (8) Eos postquam semel crediderunt, non posse unquam Spiritum sanctum excutere: semperque certos esse de sua salute, etiam quum nullum sentiunt fidei actum. (9) Atque in his scilicet constare unicam in vita & in morte consolationem, & omnem salutis nostræ certitudinem. Respondeo: Etsi quædam quæ hoc loco Bertius recitat, pro meis agnosco: tamen quia videtur mihi nonnulla ex illis recitare calumniosè: non teneor priùs ad illa respondere, quàm Bertius ad singula ista annotaverit sectiones disputationis meæ adversus Schafmannum, unde illa à se deprompta esse significat, in margine: allegans sectionem XLV. in qua tamen nihil istorum reperire potui. Clausulam quidem certè istius recitationis apertum esse mendacium, dicere non vereor. Interim oro lectorem, ut totam illam meam adversus Schafmannum disputationem à capite ad calcem perlegat, & in timore Domini de tota illa judicet. Confido enim, eum nihil ibi reperturum, quod non sit testimoniis sacrarum literarum probè confirmatum.*

Hisce ita contra meam loci illius Paulini expositionem disputatis, instituit Bertius afferre expositionem suam: & præmissâ admonitione de duplici Dei figuratione, unâ creationis, alterâ renovationis, conversionis, & post Pag. 31. conversione præmii: profert argumèta quib. se moveri dicit, cur de posteriore Pag. 32. ista figuratione apud Paulum agi sentiat. Illa igitur argumèta mihi erunt examinanda. Primum, inquit, quia Jeremias (c. XVIII.) ad cujus verba respexisse, Ibidem. imò & allussisse videtur Apostolus, de simili quoque figuratione, legislatoriâ in-



quam & judiciaria, agit. Respondeo: Non sequitur, Paulus respexit & alludit ad verba Jeremiae, cap. 18. Ergo de simili (id est, ejusdem generis) figuratione loquutus est. Quippe idem Paulus in hac ipsa epistola cap. 10. vers. 6. & 7. respexisse & alluisse videtur ad verba Moysis quae leguntur Deut. 30. v. 12. & tamen ibi non agit de ejusdem generis re, nempe de perfectione voluntatis Dei per legem: sed agit de re valde dissimili, nempe de actione fidei justificantis. Inspiciatur uterque locus. Deinde non est satis ad expositionem Bertii obtinendam, ut Jeremias agat de figuratione simili: sed oportet ut agat de figuratione eadem. Praeterea insolentia sunt illa epitheta, quibus figurationem, de qua hic loquitur Apostolus, nominat *legislatoriam* & *judiciariam*: nec videntur ista epitheta convenire cum appellatione illius figurationis, qua illam paulo ante nominavit figurationem *renovationis, conversionis, & post conversionem praemii*. quippe renovatio & conversio hominis non fit per legislationem, sed per praedicationem Evangelii. Nec ullum vel minimum indicium apparet in verbis Pauli de quibus nunc agit Bertius, unde colligi possit, eum de legislatoria figuratione loqui. Adhaec non est certum, Paulum hic ad illum locum Jeremiae respicere. Imò aperte respicit ad locum Esaiæ, cap. 45. v. 9. Sicut unumquemque docere poterit ipsa verborum utriusque loci inspectio: & tamē de eadem re Paulus hic nō agit, de qua illic Esaias.

Pag. 31.

Pag. ead.

Pergit: Deinde quia *masse* hic mentio fit: quae certè juxta istam *Piscatoris* sententiam in praedestinatione nulla fuit: neque concipi animo ulla potest, nisi statuamus decretum creationis decreto electionis prius fuisse: quod quidem ille, si salva vult sua commenta, nec potest dicere nec debet. Resp. Quæstio hic agitur, an rectè allegaverim dictum Pauli Rom. 9. v. 21. ad probandum, quod Deus homines aliquos CREAVERIT ad exitium sempiternum. Bertius autem questione hac relicta, reponit quæstionem de *praedestinatione*. Pervertit igitur statum quæstionis. Deinde falsò dicit, in praedestinatione Dei nullam fuisse talem massam, de qua in loco proposito loquitur apostolus. Certè n. decrevit ab æterno Deus talē massam condere, ex qua postea conderet genus humanum. Nec propterea statuere necesse est, decretum creationis decreto electionis prius fuisse. Quæ n. est ista consequentia, Deus decrevit creare massam ex qua crearet homines, idque ad diversos fines: nempe ut ex illis creatis & lapsis aliquos eligeret, alios reprobareret: Ergo decretum creationis fuit prius decreto electionis. Imò contrarium sequitur: quia quod est posterius in executione, id est prius in intentione sive decreto. Nec verò hæc sententia de ordine decretorum divinorum *commentum* meum est: sed ipsa sapientiae divinae naturam talē ordinem postulat. Pergit: Tertio, quia non illam primæ creationis, nedum istam imaginariam *Piscatoris*: sed hanc *pedagogicam, legislatoriam, & judiciariam* figula-

Ibidem.



figulationē totā illā disputatione defendit Apostolus, oppugnatā à Judæis, conquere-  
rentib. novā introduci à Paulo justificationis rationem ex fide, rejectā eā quam ipsi  
sectabantur ex operibus legis. Dicit ergo Apostolus, fas esse Deo, novā dare justifica-  
tionis legem, secundū quā alios ipse faciat & figulet vasa honoris ad decus & glo-  
riam, alios vasa iræ ad dedecus, & citra quam nemini salvari sit possibile. Quanam  
verò est ista lex? Credite in Jesum Christū, & salvabimini. Ex hac lege facit Deus  
vasa honoris. Ex hac verò, Qui non crediderit, cōdemnabitur, facit vasa iræ. Si ho-  
mo sequacē se huic figulo p̄stiterit, purgaveritq; semetipsum, ut alibi (2. Tim. 2.)  
idem loquitur, ab omni inquinamento, fiet ab eodem figulo & premiorum dispen-  
satore Deo vas ad honorem sanctificatum, & utile Domino, atq; ad omne opus bo-  
num preparatum. Omnem enim qui invocat nomen meum, ait Dominus (Jes. 43.  
v. 7.) in gloriam meam creavi eum, formavi eum, feci eum. Sin immorigerum se  
præstiterit, adjudicabitur æternis suppliciis, fietq; vas ad dedecus. Format ergo  
Deus vasa legislator, promissor, hortator, judex, exsecutor: facitq; alios vasa ho-  
noris, alios vasa iræ. Resp. Probaturus Bertius, Paulum Rom. 9. v. 21. loqui  
de figulatione legislativa & judiciaria (quā hic novo insolenti epitheto  
*pedagogicam* appellat) pro tertio argumento affert hoc, Quia Apostolus il-  
lam totā illā disputatione defendat. At non animadvertit, se hic committere  
petitionem principii. Nam certè si istam figulationem defendit Apосто-  
lus disputatione illa TOTA: utiq; eand. defendit, ac proinde de ea loqui-  
tur, etiam in versu illo 21. At hoc ipsum probandum sibi sumsit Bertius.  
Deinde non sequitur, Figulatio ista, i. e. (ut ipse declarat) nova justifica-  
tionis ratio, fuit oppugnata à Judæis: ergo Paulus in hoc cap. 9. eā defen-  
dit. Potuit n. eam defendere, atq; etiam revera defendit, extra hoc caput:  
videl. inde à v. 16. capitis primi usq; ad istud caput. Et certè de justifica-  
tione hoc unū tantum modo in illo capite agit, quòd, sub finē ejus, v. 30.  
& seqq. monet, justificationē contigisse gentib. Judæos autē ad illam non  
pervenisse. Ipsam autē justificationis doctrinā nusquā in toto illo capite  
defendit, disputando nimirū, ut ait Bertius. Alioqui verū est qd doctrinā  
illam hīc defendat ac vindicet à scādalo incredulitatis magnæ partis Ju-  
dæorū: sicut suprā à me est ostensum. Itaq; cōmentitia sunt quæcunque  
deinceps Bertius Apostolo affingit, qd dicat fas esse Deo novā dare justifica-  
tionis legē, & reliqua quæ in hanc sententiā verbosè congerit. Ubi & hoc  
notandum, figulationem istam (ut Bertius loquitur) id est, justificatio-  
nem hominis per fidem, tum demum ex illius opinione procedere & ef-  
fectam dari, si homo huic figulo (nempe Deo) se præstiterit SEQUA-  
CEM. At quomodo hoc convenit cū omnipotentia Dei? Si n. homo tū  
demum à figulo illo Deo fiet vas honoris per figulationē justificationis



per fidem in Christum, *si praebeat se sequacem*: non pendeat illa figulatio ab omnipotentia Dei, quippe cui homo poterit resistere, non praebe-  
do se sequacem.

Quae recitat ex 2. Tim. 2. v. 20. & 21. item ex Esa. 43. v. 7. vel secun-  
dum interpretum nostrorum distinctionem cap. 42. v. 32. nihil ad pro-  
positum ipsius probandum faciunt. Et locum priorem falsò citat, pro  
verbo *ἐσται*, ERIT, substituens verbum FIET. Verba Pauli sunt, *Si quis igitur se ipsum ab his expurgarit, ERIT (ἐσται) vas ad decus, sanctificatum &c.* Ber-  
tius autem verba sunt, *Si homo purgaverit semetipsum, FIET ab eodem figulo &  
praemiorum dispensatore vas ad honorem &c.* Verbum autem ERIT ibi idem  
valet quod INTELLIGETUR ESSE: ita postulante illius loci scopo: qui  
est, indicare, quomodo unusquisque possit esse certus, se esse vas ad de-  
cus, id est electum: nempe si sese expurgarit ab hypocritis, hoc est, si  
sincero studio puritatis atque sanctitatis teneatur. Ergo verba illa non  
loquuntur de ipsa hominis figulatione illa de qua hoc loco disputat, &  
Paulum loqui fingit, Bertius. Locus autem Esaiae loquitur ille quidem  
de Bertiana ista figulatione, id est, de efficaci vocatione spiritualique re-  
generatione: promittit enim ibi Deus, *se filios suos & filias suas* (id est,  
electos) *reducturus ab extremitate terrae*, id est, ex gentibus per orbem ter-  
rarum dispersis, v. 6: & mox versu 7. illos describit, dicens, *Omnes qui vo-  
catur de nomine meo, & quem ad gloriam meam creavi: quem formavi, etiamque  
feci.* At hinc non sequitur, Paulum Rom. 9. v. 21. de eadem figulatione  
loqui. Sed consideret hinc velim Bertius, quomodo de spirituali ista figu-  
latione loquatur Deus. Dicit, *se ad gloriam suam creavisse, formavisse, fecisse*  
(id est, spiritu suo regenerasse) quem? num omnes omnino homines?  
Non. Sed OMNEM, inquit, *qui vocatur de nomine meo*: quos modò nomi-  
naverat filios suos & filias suas: quibus utiq; vocabulis intelligit electos,  
ut & Johannes, Joh. II. cap. 52. Jam sicut Deus non omnes homines, sed  
solos electos, spiritualiter fingit, id est, regenerat: ita etiam non omnes  
homines, sed solos electos, ad istam figulationem, ac proinde ad decus  
seu gloriam, condidit. Unde jam apparet, expositionem dicti Paulini  
quam Bertius hinc oppugnat, per locum illum Esaiae quem pro diversâ  
expositione citat, confirmari.

Porro hunc locum, id est, hanc suam loci Paulini expositionem,  
concludit suo more falsis criminibus, quibus bene multis denuo meam  
expositionem obruit. *Hoc certus sum*, inquit, *ista* (loquitur de sua exposi-  
tione loci Paulini) *prout sanctè concipiuntur, ita utiliter quoq; & convenienter  
scripturis ad ecclesiae aedificationem proponi posse: quum illa alia* (intelligit illa  
quae



que à me ad expositionem loci Paulini allata sunt) (1) cruda sint, (2) rationi recta, (3) legi naturæ, & (4) sanctis quæ de Deo religiosè institui possunt meditationibus inimica: ac non tantum (5) viam sternant ad desperationem, aut (6) contrariam ei securitatem: sed (7) ansam quoque præbeant disensionibus, & (8) ridiculis, (9) monstris, ac spinosis disputationibus. (10) Quid quod his ipsis omnibus planè religio evertitur? Nam quum religio nihil sit aliud, quàm sollicita quædam ratio & modus colendi Deum: ut quisquis illum sibi propitium esse vult, eam rationem sequatur: quis non intelligit, introductâ semel sententiâ istâ, omnes religionis nervos incidî? Quandoquidem sollicitudine neque illis opus est, qui antecedente Dei decreto à fine & mediis salutaribus præcisè exclusi sunt: neque iis qui ad bonum trahuntur vi majore, ita ut non possint evadere quin salventur. Sublatâ autem spe & metu, necesse est introducatur in Ecclesiam securitas, & ignava quædam vivendi ratio, quam Stoici ἀσφάλεια λέγοντες appellaverunt. Respondeo: Nullum istorum absurdorum ex me loco illius Paulini Rom. 9. v. 21. 22. & 23. expositione sequitur: cujus summam hoc effato proposui, Deus condidit hominum alios ad salutem, alios ad exitium sempiternum. Non primum: quia nihil crudum à piis dici debet, quod in verbo Dei traditur. Non secundum: quia recta ratio non est, quæ se doctrinæ in verbo Dei fundatæ opponit. Recta enim ratio intelligit, Deum naturâ suâ esse veracem: ac proinde verum esse quicquid verbo suo tradit. Non tertium: quia lex naturæ de mysterio illo decretorum divinorum nihil homini dictat: sed hæc per verbum Dei & operationem Spiritus sancti homini revelari & persuaderi oportet. Non quartum: quia in numero sanctarum de Deo meditationum hæc vel prima est, Deum esse dominum omnium, summâ majestate, liberrimâ voluntate ac potestate præditum: item sapientiam & justitiam ejus in gubernatione generis humani ita profundam esse, ut mens nostra ad illam perfectè intelligendam penetrare non possit: quæ sancta de Deo meditatio in apostolo exorta fuit ex doctrinæ hujus consideratione: quum exclamaret, *O profundas divitias tum sapientia, tum cognitionis Dei! Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio? aut quis prior dedit ei & reddetur ei? Nam ex eo, per eum, & in eum sunt omnia. Ipsi sit gloria in secula, Amen: Rom. 11. v. 33. & sequentibus.* En quàm sancta Apostoli, ex doctrina de prædestinatione orta, meditatio! Nec quintum absurdum ex doctrina illa sequitur. Non enim sequitur, Deus aliquos homines condidit ad sempiternum exitium: ergo me quoque ita condidit, ac proinde mihi de gratia Dei desperandum est. Potest enim esse ut te condiderit ad salutem. An autem te ad salutem condiderit, id potes ac debes cognoscere ex



propriis electionis divinæ effectis: puta fide in Christum & sincero studio pietatis. Nam quos Deus prædestinavit, eos etiam vocavit: id est, fide donavit. Quos autem vocavit, etiam justificavit. Et quos justificavit, eos etiam glorificavit, Rom. 8. v. 30. Neque etiam (quod sextum absurdum est) doctrina hæc viam sternit ad securitatem, nempe carnalem. Non enim sequitur, Deus condidit aliquos ad salutem: ergo me quoque ita condidit: & per consequens servabor, etiamsi securè vivam, indulgens genio & freno laxans cupiditatibus. Imò qui securè vivit: is, quamdiu ita vivit, non potest sibi persuadere, se esse in numero electorum, ac proinde conditum esse ad salutem: quum careat electionis infallibili signo, nempe studio sincero pietatis ex fide in Christum profecto. Nec (quod septimum est absurdum) doctrina hæc ansam præbet disensionibus: sed superba ingenia quæ se verbo Dei subdicere, & rationem suam sub illud captivam ducere nolunt, ansam disensionum inde arripiunt. Nec verò reticenda est cælestis veritas, etiamsi multi ab ea dissentiant, eiq; contradicant. Idem iudicium est de octavo & nono absurdo. Decimi porrò absurdi consequentia (de everfione omnis religionis) quia rationibus à Bertio fulcitur: considerandum est quam vim illæ habeant. Ipsum quidem certè ex hac de prædestinatione doctrina nõ sequitur: quippe quæ in pio pectore gignit adorationem divinæ majestatis, quæ veræ religionis vel præcipua pars est. Testatum hoc fit exemplo Apostoli Pauli: qui quomodo in adorationem majestatis Dei ex consideratione hujus doctrinæ eruperit, paulò antè ostendi ex loco Rom. II. sub finem. Sed videamus rationes Bertii. Prima ratio concluditur hoc syllogismo.

Mag. 33.

*Per quam doctrinam evertitur sollicitudo colendi Deum, per eam evertitur omnis religio.*

*Per doctrinam Piscatoris de decreto Dei circa hominum salutem & exitium, item de vi irresistibili in hominis conversione, evertitur illa sollicitudo. Ergo.*

Nego assumptionem. Sed hanc probat Bertius ex eo, quòd per illam doctrinam reprobis quidem præcisè excludantur à fine & mediis salutaribus, electi verò ita trahantur ad bonum, ut necessario salventur: unde nimirum fit ut illis quidem spes, his autem metus auferatur. His autem sublatis, sollicitudo illa colendi Deum locum non habet. Resp. Ad reprobos quod attinet: etsi omnes antecedente Dei decreto, teste scripturâ, excludantur à salute, tamè non omnes excluduntur à mediis salutis. Quibusdam n. reprobis Deus prædicari curat Evangelium: quod si fide amplecterentur, haberent utique spem salutis. Quòd autè illi Evangelium fide non amplectuntur, ac proinde

inde



inde nec spem salutis habent: ipsorum culpâ fit. Quibus autem reprobis Deus Evangelium prædicari non curat: ut olim fecit cæteris gentibus, præter Israëlitas, quas sive suis ipsarum viis incedere, Act. 14. v. 16. illis non facit injuriâ: quia non est illis ad hoc beneficium præstandum obligatus. Jam ad electos quod attinet: etsi illi ex antecedente Dei decreto necessario salvabuntur: tamē per hoc sincerus Dei metus & pia colendi ejus sollicitudo non tollitur. Quos enim Deus salvare decrevit, eos etiam decrevit donare fide in Christum & studio bonorum operum, tanquā mediis ad finem illum ducētib; atq; etiam suo tempore unumquemq; electum, illorum mediōrum capacem, eis donat. Cæterum hoc loco illud quoq; notandum est, Bertium non rectē interpretari illum Stoicorum ἀργὸν λόγον per ignavam quandam vivendi rationem. Etenim Cicero in lib. de Fato illum ἀργὸν λόγον interpretatur non de ipsa ignava vivendi ratione, sed de Stoicorum quadam ratiocinatione, unde illa ignava vivendi ratio oriatur. Sic enim loquitur, *Nec nos impedit illa ignava ratio quæ dicitur (appellatur enim quidam à philosophis ἀργὸς λόγος) cui si pareamus, nihil est omnino quod agamus in vita.* Et paulo post, *Rectē genus hoc interrogationis ignavum atq; iners nominatum est, quod eādē ratione omnis è vita tollitur actio.* Sed affert Bertius alteram quoque rationem, his verbis: *Præterea quum hoc habeat religio, ut hominem Deo reddat quàm simillimum, faciatq; eum (ut loquitur B. Petrus) θείας κοινωνὸν φύσεως: atq; huc spectent illæ exhortationes, Estote imitatores Dei, sicut filii dilecti: Estote perfecti, sicut pater vester qui est in calis perfectus est: Estote misericordes, sicut pater vester qui est in calis misericors est: fieri non potest, quin positâ sententiâ istâ Piscatoris, homines exemplo Dei ad manifestam impietatem vocentur. Concipiat enim quis de Deo istud, Illum quum posset plurimos vitæ & gloriæ destinare, voluisse, citra antecedentem culpæ rationem, multò maximam partem humani generis destinare exitio: quænam erit ratio Deum exprimere & imitari volenti, misericordiæ humanæ? Concipiat & istud, Deum ut finem suum consequatur, præordinare peccata, neq; carere illis posse: nõnne necesse est, si istud in exemplum vitæ trahere velit, omnem pietatem probitatemq; excuriat?*

Pag. 33.

Respondeo: Disputat hoc loco Bertius ex falsa hypothesi, quasi scilicet omnes Dei actiones homini imitandæ sint, ut ei similis, ac proinde religiosus evadat. At hoc falsum, atque ad eò impossibile est. Quid enim? Deus creavit ex nihilo cælum & terram: quis hominum istud imitari potest aut debet? Idem judicium est de divinis miraculis: idem quoq; de divinis decretis. Nec sacra scriptura uspiam talem Dei imitationem præcipit: Sed præcipit imitationem illarum virtutum quæ præcipiuntur



in decalogo, ut misericordiae erga proximum egenum, perfectae item dilectionis proximi. Ubi tamen ingens discrimen est inter virtutes illas divinas, id est, quae sunt in ipso Deo: & virtutes humanas, id est, quibus homines similibus quibusdam qualitatibus, quas Deus in ipsis creat, praediti sunt. In Deo enim virtutes omnes aeternae, infinitae, perfectae, immutabiles sunt: in homine temporanae, finitae, imperfectae, mutabiles. Pari ratione scriptura nos hortatur ad imitandum virtutes Christi, ut mansuetudinem, animi demissionem, Matth. II. v. 29: dilectionem, Johan. I. v. 14. & 15: patientiam in ferendis injuriis, I. Pet. 2. v. 21. & seqq. Non autem jubet ut imitemur actiones Christi omnes: ac proinde etiam miracula. Constare igitur potest vera religio, in imitatio Deo posita: etiam si illud quoque cum sacra scriptura arctè teneatur atque defendatur, quòd Deus homines plures destinarit exitio, quàm vita & gloria: item, quòd praordinarit peccata, ut patefacere posset & misericordiam suam in illis remittendis, & justitiam in puniendis. Hæ enim actiones Dei non sunt homini propositæ ad imitandum, sed ad cognoscendum & admirandum, Deumque ex illarum consideratione adorandum.

Decimoquarto loco aliam pericopen ex Refutatione mea refutandam sibi proponit Bertius, quæ extat pag. Refut. 170. his verbis: *Jam decretum de mediis est, quòd Deus decreverit illorum quos ad salutem creavit, misereri, sive suam in illis exercere misericordiam: justitiam verò vindicatricem in illis quos creavit ad interitum. Quod utrumque liquet ex ipsis appellationibus, quibus utriq; isti à Paulo nominantur: perdendi quidem vasa iræ, glorificandi verò vasa misericordiae, ibid. v. 22. & 23. Vasa iræ, quia Deus decrevit in illis exercere justam suam iram adversus peccata: vasa misericordiae, quia Deus decrevit in illis exercere suam misericordiam, ignoscendo illis peccata propter Christum mediatorem. Atque hæc sunt media specialia, tum illis tum istis propria. Commune verò utrisq; medium est peccatum: quod nisi intervenisset, nec misericordiae illi, nec iræ sive justitiæ locus fuisset. Hinc jam existit decretum novum, quòd scil. Deus decreverit permittere peccatum. Hoc probatur ex ipso eventu. Deus enim peccatum permisit: quippe quod secus evenire non potuisset. Subjicit Bertius: Hæc omnia sicut audaciusculè ac sine ratione dicuntur: ita necesse est corruant, si vel modestiam illam, de qua paulò antè monui, ad loci perobscuri explicationem adhibeamus, vel ad eam admittamus interpretationem, quam nos religiosè quidem & trepidè, sed tamen toti scripturarū contextui, & nature Dei, & disputationi ac scopo Apostoli convenienter attulimus &c. Respondeo: Quæ in ista pericope à me dicuntur, non dicuntur vel audaciusculè vel sine ratione: quia fundata sunt in verbis Apostoli Pauli, & connexo necessario atque indissolubili constant:*

Pag. 34.



stant: qua de re iudicium tum vobis, reverendi fratres, tum cuivis intelligenti lectori relinquo. Corruerent quidem illa, si Bertianæ loci illius Paulini Rom. 9. v. 21. expositioni locus daretur. at quum istud fieri salvâ veritate non possit, sicut suprâ demonstravi: illa quæ in proposita pericope à me dicuntur, adhuc firma atque immota perstant. Antequam autem illa oppugnare aggrediatur Bertius, totam meam de isto negotio doctrinam, ex compluribus meæ adversus Schafmannum disputationis locis collectam, in tabella spectandam proponit: ad cuius singula membra demonstranda per quatuor ferè folia sententias à me scriptas recitat. Tum recitationem illam concludit his verbis, *Atq; hæc hactenus quidem* Pag. 42.  
*posita est à nobis nuda & simplex Piscatoris sententia, sine ullo verborum apparatu: ut ipsi horribile istius doctrinæ secretum ex ipsius ore audiretis, cum consecrariis non à me extortis, sed ab ipso positis. Et scio sufficere ista abundè ad refutationem: neq; necesse esse operam ludere in refutatione eorum quæ per se suam profanitatem produnt.* Respondeo: Doctrina à me de divinis circa hominum salutem & exitium decretis tradita, & à Bertio collecta atque recitata, non est horribilis aut profana nisi rationi hominis naturali; pio autem pectori, iudicium suum verbo Dei subjicienti, amplexabilis & sancta est. Porro doctrinam hanc refutaturus Bertius quid facit? *Principiò notari* Ibidem.  
*velim, inquit, tabellas istas concinnatas esse ad similitudinem earum quas quondam Valentiniani ad æonas suos representandos finxerunt.* Et ibi multis verbis dogma Valentinianorum commemorat, cumq; illo doctrinam meam comparat, paginâ 42. 43. 44. & quadragesimasexta. Pa. 46. 47. Deinde eandem comparat dogmatibus aliorum quoque veterum hæreticorum, Basilidis, Gnosticorum & Manichæorum. Annon autem tota ista comparatio à Bertio petulanter & calumniosè conficta sit: tum vobis, reverendi fratres, tum cuivis æquo lectori iudicandum relinquo. Tandem redit ad oppugnandum Refutationem meam, & ita pergit: *Quod dixi de confu-* Pag. 48.  
*sione decretorum & eventuum, perspicuum est in Piscatore, cuius hæc verba sunt, in hac ipsa ad vos epistola: Decretum de mediis est, quod Deus decreverit illorum quos ad salutem creavit, misereri, sive suam in illis exercere misericordiam: justitiam verò vindicatricem in illis quos creavit ad interitum.* Tum subjicit Bertius: *Manifesta enim est in his verbis ἀκυρολογία. nam quum creationem præcedat prædestinationis decretum (sunt enim decreta divina facta πρὸ κατὰβολῆς κόσμου) ille sic loquitur, ac si facta essent post creationem.* Et tum monet, pro creavit dicendum mihi fuisse *creaturus erat.* Respondeo: Fateor ita esse: at Bertius probè intellexit, me hoc ipsum dictum voluisse: quippe quum in illis meis verbis ἀκυρολογία esse dicat. Ergo non sententiam meam, sed



tantummodo modum loquendi hinc reprehendit. Verum hanc reprehensione non contentus, etiam sic correctum sermonem meum alio simili reprehensionis genere fugillat, damnans eum ἀδολεχίας, id est, nugationis. At manifestè sophistam hinc agit, mutando statum quæstionis. Quæstio est, an ἀδολεχία sit in his verbis, *Deus decrevit illorū quos ad salutē creaturus erat, misereri: justitiam verò vindicatricem exercere in illis quos creaturus erat ad interitum.* Hinc nulla est ἀδολεχία. At Bertius ut possit me ἀδολεχίας convincere, in medium affert alia quædam mea verba, nempe hæc, *Decretum de finibus est, quòd Deus decreverit hominum alios creare ad salutem, alios ad exitium.* Tum duo illa pronuntiata inter se confundens, subjicit: *Quid enim est, Deus decrevit illorum quos ad salutem creaturus erat, misereri, ut eos posset creare ad salutem? Et rursus, Deus decrevit illorum quos creaturus erat ad exitium, non misereri, ut eos posset creare ad exitium?* Quærit Bertius, quid hoc sit? Respondeo, esse ἀδολεχίαν: sed non meam, verum mihi περισκοφαντίαν & vitilitigationem ab ipso afflictam.

Pag. ead.

Pergit: *Præterea quæram, cur decreta tam diversa vocet unum decretum? Differunt enim subjectis, predicatis, finibus, imò ipsa quoque formâ enunciandi.* Ad hanc quæstionem ego jam supra respondi: ostendens, ipsam quoque scripturam quum de pluribus specialibus decretis loquitur, uti tamen numero singulari, appellando illa *ἡ ἐξέσις*, propositum, Rom. 8, v. 28. & *ἡ ἐξέγνωσις*, prædecretum, 1. Pet. 1, v. 2.

Pag. 48. &  
49.

Sed nondum desinit *περισκοφαντεῖν* & vitilitigare Bertius: adhuc unum affert quod in mea de divinis circa hominum salutem & exitium decretis doctrina vitiosum sit. Sic ergo pergit: *Notari & hoc velim: tabellas istas quas rigidioris istius dogmatis architecti proponunt, eò tantum spectare, ut declarent æquale & commune per peccatum. Adæ reproborum exitium; itemque æqualem per idem peccatum electorum salutem in Jesu Christo.* Cæterum quia doctrinæ istius authoribus placet, certos quoque esse gradus destinatorum finium, pro ratione subjectorum singularium: necessario tot erunt respectu illorum statuum post communem lapsum tabellæ conficiendæ cum suis finibus & mediis, quot sunt subjecta singularia, vel saltem quot subjectorum quis volet salutis & exitii dispensationem ostendere. Respondeo: Accusat igitur Bertius meam de divinis decretis doctrinam imperfectionis, quòd non confecerim tot de illis tabellas, quot postulat sententia mea de gradibus finium, nempe salutis & exitii. Ergo eadem operâ culpet apostolum Paulum, qui contentus indicare fines illos in genere, gradus illorum nullos adje-  
cit, Rom. 9, v. 21. 22. & 23.

Quòd autem doctrinam illam *dogma rigidum* appellat, veritati ejus:  
nihil.



nihil detrahit. Nam sicut jus rigidum, nihilominus jus est: ita veritas rigida nihilominus veritas est. Quòd mentionem facit architectorū istius dogmatis, calumnia est: nam neque ego, neq; doctores orthodoxi, quorum vestigiis ego insisto, Bucerus, Martyr, Calvinus, Beza, Zanchius, doctrinæ illius architecti sunt: sed fideles operarii & servi Dei, qui doctrinam illam ex armamentario architecti Dei (nimirum è sancto ejus verbo) fideliter depromserunt.

Cæterum isti reprehensionem annectit aliam, quâ reprehēdit, quòd ego approbavi dictum Lutheri de prodicione Judæ, quatenus illud in in calce Notarum mearum ad Amicam Collationem Vorstii inter alia recitavi. Sed primùm non profus rectè illud vocat *horridum*: quia horridum tantùm est rationi humanæ judicāti extra verbum Dei, non autem piæ menti judicanti ex verbo Dei. Deinde non rectè dicit, me illud *dilaudare*: quia simpliciter illud inter alia recito. Tum idem illud dictum mutilatè citat. Præcīdit enim verba illa, *Si præscivit Deus Judam fore proditorem*: atque ita ex enunciato connexo simplex, ex propositione conditionali categoricam facit.

Recitat etiam simile dictum meum de procuratione mendaciorum prophetarum Achabi, & adulterii Absalomi cum uxoribus patris: sed recitat tantùm, non refutat. Cur? Nempe quia non ausus fuit tam claris sacræ scripturæ verbis, quæ de utraque illa procuratione leguntur, contradicere.

Veruntamen ne nihil contra sententiam Lutheri (quam ego approbo) de divino decreto prodicionis Judæ attulisse videatur: quū confirmationem illius ex verbis scripturæ depromptam attingere & oppugnare non audeat, comparat illam cum facto Tiberii: ut nimirum ex absurdo consequente absurditatis illam convincat. Sed totâ illâ comparatione concessâ, dissimilitudo tamen manet in hoc, quòd decreta Dei de Juda omnia sancta sunt, quia à sanctissimo illo ente, quod per naturam peccare non potest, quodque liberam de suis creaturis discernendi & agendi habet potestatem, profecta sunt: decreta autem & mandata illa Tiberii de virginibus strangulandis injusta & crudelia sunt: quia pugnant cum lege Dei, ad cujus obedientiam Tiberius fuit obligatus. Etsi enim scriptam Dei legem non habuit: habuit tamen opus legis illius scriptū in corde suo, sicut de gentibus in universum loquitur apostolus Rom. 2. v. 15. quæ vulgo legem naturæ nominant. Quare falsum est quod subjungit per *ἐπίκρισι* Bertius, in sententiis illis inter sese cōparatis nihil uspiam esse sani. Pag. 50.

Pergit: *Quid dicam? Inexplicabilis mihi & planè ἀκατάληπτος* & vi. Pag. 51. Ibidem.



detur ista *Κηδωσια*. Estque primùm illud stupendum, quòd bona & mala concipit  
 coordinata esse ac disposita inter se antecedente voluntate Dei. Homo si id faceret,  
 non effugeret reprehensionem: de Deo autem. Piscator quid non audet? Tribuit ipsi  
 finem cujus obtinendi causâ deliberat & agit, gloriam: speciosè potiùs quàm verè,  
 ut postea videbitis. Hanc gloriam fingit queri viâ non bonâ, per exitium scil. ple-  
 rorumq; mortalium. Ad hoc verò exitium quomodo fingit ille pervenire Deum?  
 Per peccatum: quod ille ait à Deo ordinari & procurari: quodq; ut ne fiat, non  
 vult in potestate ejus esse qui agit: quia nō posset Deus sine eo ad finem illum suum  
 principalem pervenire. Et quum ista asseruit, negat tamen se tribuere Deo nisi  
 permissionem peccati. Quàm bellè hæc coherent? Respondeo: Primùm scire  
 velim, quo sensu Bertius ordinem decretorum divinatorum à me tradi-  
 tum appellet *Κηδωσιαν*? Plures sunt istius vocabuli significationes, è qui-  
 bus una est qua significat *machinamenta subdola*: in qua significatione si  
 vocabulū istud accipit, nego ullum subdolum machinamentum in illo  
 ordine contineri: quippe qui & claris atque perspicuis verbis est indica-  
 tus, & necessariis rationibus confirmatus. Neque quicquam in eo est  
*ἀκατάληπτον*: quum & singula per se facilè intelligantur, & omnium in-  
 ter se connexio indissolubili vinculo constet: ut patebit cuique intel-  
 ligenti & absque præjudicio judicanti. Ineptum autem & inefficax est  
 enthymema illud, Homo si decreta & actiones suas ita ordinaret, non  
 effugeret reprehensionem: Ergo & Deus, si ita ordinet, reprehensionem  
 effugere non poterit. Ingens hîc est dissimilitudo. Homini non est fas  
 decernere & procurare peccatum, ut per hoc aliquid boni consequatur,  
 aut saltem aliquid quod ei bonum videtur. At Deus, tanquam liberri-  
 mum agens, potestatem habet & decernendi & procurandi peccatum ad  
 hoc ut inde consequatur aliquid boni, nempe ad patefactionem gloriæ  
 suæ: tum misericordiæ scil. in peccato condonando, tum justitiæ in eo-  
 dem puniendo.

Adhæc negat Bertius, verè tribui Deo à me finem illorum decre-  
 torum, gloriam ipsius. Atqui testatur scriptura, Deum omnia propter sei-  
 psum (nimirum propter gloriam suam) fecisse, etiam impium ad diem mali,  
 Prov. 16. v. 4. Item, voluisse ostendere iram & notam facere potentiam suam in  
 vasis iræ coagmentatis ad interitum, itemque notas facere voluisse divitias  
 gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ preparavit ad gloriam, Rom. cap. 9.  
 v. 22. & 23.

Præterea dicit me fingere, hanc gloriam queri viâ non bonâ, per exi-  
 tium scil. plerorumque mortalium. At primùm falsò dicit, me quod de viâ  
 illius gloriæ dico, fingere: quum sententia illa constet cōnexo necessario,  
 nem.



nempe hoc: Si Deus decrevit aliquos hominum servare per misericordem peccatorum remissionem; alios verò, & quidem plerosque, æterno exitio perdere per justam peccatorum punitionem: necesse est ut decreverit quoque peccatum permittere atque procurare: quia secus ad fines illos pervenire non potuisset.

Insuper falsum est, quod dicit, *exitium plerorumque mortalium esse viam non bonam*, qua scilicet Deus pervenit ad gloriam suam. Nam etsi exitium illud non est bonum, id est, jucundum hominibus qui illo afficiuntur: bonum tamen est Deo illud justè ordinanti ad gloriam justitiæ suæ patefaciendam.

Quin & hoc sophisticum est, quòd Bertius in via quam à Deo ad gloriam ipsius destinata esse trado, commemorat solum exitium plerorumque mortalium: salutem verò aliorum silentio præterit. Sophisticum & illud est, quòd cavillatur verba illa mea quæ habentur Refutationis meæ pag. 171. *Quòd simpliciter fieri non POTUERIT, ut fines illos effectos daret Deus absque interveniente peccato*. Hinc enim infert, *me non velle in POTESTATE Dei esse, ut peccatum non fiat*: innuens nimirum, me derogare aliquid potestati Dei. At ego potestati Dei per verba illa, *Simpliciter fieri non potuit &c.* nihil detraho: sed tantum indico, impossibile esse ut Deus peccatum vel remittat vel puniat, nisi peccatum commissum sit. Postremò falsum & illud, *Negat (Piscator) se tribuere Deo nisi permissionem peccati*. Etsi enim in dicto quod ad hoc probandum recitat, solius permissionis mentionem facio; procuracionem tamen ejus, quam alibi nominatim posui, non excludo. Non sunt ista adversa, sed tantum diversa, quæ simul concurrere possunt.

Pergit: *Eadem est ratio electorum. Ordinantur ad peccatum omnes, ut pauci ex illis servari possint. At qui mala non possunt per se esse bonorum media: quandoquidem qui providenter ordinant, semper ordinant congenera. Sicut enim ridiculus sit qui aliquem in foveam præcipitet, ut habeat quem extrahat: ita non videtur satis conveniens divinæ sapientiæ, subordinare quendam ad lapsum, ut eum postea solvere ex eo lapsu possit*. Respondeo: Primum mutilatè recitat meam sententiam quam instituit refutare. Neque enim ego ita nudè scripsi, *Ordinatur ad peccatum omnes ut pauci ex illis possint SERVARI*. Quippe poterat Deus servare omnes non interveniente peccato: id est, salute seu felicitate æternâ atque cælesti eos beare, conservando eos in justitia cum qua eos creavit. Sed scripsi (Refut. meæ pag. 170. & 171.) *Commune utrisq; (nempe tum electis, tum reprobis) medium est peccatum: quod nisi intervenisset, nec MISERICORDIÆ illi, nec iræ sive justitiæ locus fuisset*. Hinc jam:



*existit decretum novum, quòd scil. Deus decreverit permittere peccatum.* Ecce de quali ego salute electorum loquar: nempe de ea quæ cum misericordia Dei (nempe misericordia remittendi peccata) conjuncta est. Deinde sententia mea de interveniente peccato, tanquam medio, ad misericordem peccatorum remissionem, non evertitur per illam exceptionem, PER SE. Nam sive PER SE sive PER ACCIDENS peccatum ad illam Dei misericordiam medium est; utroque modo medium est. Sicut potus amarus à medico apparatus ad morbum pellendum medium est, sive dicamus esse medium PER SE sive PER ACCIDENS. Item proditio interdum ad victoriam consequendam medium est: sive dicamus esse medium per se sive per accidens. Sed ne hoc quidem per omnia verum est, quòd mala non possint PER SE esse bonorum media. Deus enim nihil decernit per accidens: pugnat enim hoc cum ejus sapientia. Ergo omnia decernit per se: ac proinde etiam peccatū, quod certè decrevit permittere. At sententiam suam probat Bertius ex eo, quòd *qui providenter ordinant, semper ordinant congenera.* Ponamus, hoc esse verum de hominibus: an continuò verum erit etiam de Deo? *Cujus via* (id est, rationes agendi) *sunt impervestigabiles, Rom. II. v. 33.* Et ipsemet apud Esaiam c. 55. sub finem dicit, *Non ut via vestra, via mea sunt: sed ut altiores sunt cali quàm terra, ita altiores sunt via mee viis vestris, & cogitationes mee cogitationibus vestris.* Sed ne de hominibus quidem verum est, quòd qui providenter ordinant, semper ordinant congenera. Etenim medicus providens ad sanitatem ordinat potum amarum: & tamen potus amarus est in genere malorum molestorum, sanitas verò in genere bonorum jucundorum. Sic imperator providens ordinat proditionem ad victoriam: & tamen proditio est in genere malorum, nempe turpium: victoria autem in genere bonorum, nempe jucundorum. Item ad victoriam ordinat providens imperator itinera aspera, vigilias nocturnas, denique conflictum cum hoste: & tamen omnia ista molesta sunt, victoria autem jucunda. Quid quòd ipse Bertius imbecillitatem istius argumenti animadvertit, dū ita loquutus est, *NON VIDEATUR satis conveniens divinæ sapiëntiæ subordinare quendā ad lapsum, ut eū postea salvare ex eo lapsu possit.* Esto: nō videatur ita humanæ rationi extra verbum Dei judicanti, & actiones humanas ridiculas, vel etiam turpes, cum actionibus divinis tanquam per omnia similes comparanti: interim tamen actiones divinæ omnes sapientes & justæ atque sanctæ sunt: quicquid humanæ rationi de illis videatur. Quare frustra hoc loco Bertius dogma Stoicorum de cōordinatione rerum, sententiæ meæ de ordine decretorum divinorum ex verbo Dei deprom-

deprom-



depromptæ, tanquam prudentius opponit. Sed pergit, & sententiam illam meam de ordinatione decretorum divinorum falsitatis convincere conatur ex consequente absurdo, quatenus illam ut similem comparat cum turpi quodam facto Romuli, fratricidio scilicet. Sed omnibus illius comparationis membris concessis, nec sententia mea de decretorum divinorum ordine evertitur: nec sententia illa Bertii, quod qui providenter ordinant, semper ordinent congenera, stabilitur. Non prius: quia manet dissimilitudo hæc, quod decreta illa & actiones Dei sanctæ sunt: decreta verò illa & factum Romuli turpe. Non posterior: quia etsi Romulus in illa suâ deliberatione miscuit heterogenea, inde tamen non sequitur, eos qui ordinant providenter, ordinare congenera SEMPER. Veruntamen in istius comparationis summa quam singulis membris præmittit, ubi doctrinam meam cum dicto atque sententia Ciceronis de Romulo comparat, falsa quædam mihi attribuit, de quibus monere me oportet. Falsum est quod dicit, *Piscatori visum esse Deo gloriosius, præfinitè maximam mundi partem exitio destinare &c.* Idque falsum est in duabus partibus: primò quod mihi ita visum sit: at ego sententiam illam ex verbo Dei depromsi: secundò, quod instituerim comparationem imparium, quod scilicet *alterum altero visum mihi sit Deo gloriosius*: quum ego simpliciter ex verbis Pauli tradiderim, Deum tale decretum fecisse propter suam gloriam. Falsum deinde est, quod *omiserim religionem in Deum & iudicium verum de causa peccati, ut id quod gloriosius Deo videbatur, neq; erat, adsequi dicendo possem.* Sententia enim illa mea non pugnat cum religione in Deum, sed potiùs bonam ejus partem complectitur, nempe approbationem doctrinæ cælestis contra iudicium rationis humanæ, & adorationem occultorum iudiciorum Dei. Deinde sententia illa, quod Deus subordinavit atque procuravit peccatum, unam ex veris peccati causis indicat: quia vi illius subordinationis atque procurationis peccatum evênit. Falsum denique est, *jus dominii in Deo quo justitiam ejus in hoc decreto defendi, itemque necessitatem consequentia quam attuli, esse speciem honesti & veri neque probabilem, neque satis idoneam.* Quæ omnia quum falsa sint, perperam infert Bertius, *Deum ex sententia illa Piscatoris peccavisse.* Pergit: *jam verò quale illud est? Objectum predestinationis est homo non creatus & creatus, non lapsus & lapsus. Potuitne vel ab ægro aliquo somniari quicquam ineptius? Verba ipsius tam inconcinnam & absurdam sententiam exprimentia jam antè semel protulimus: proferamus nunc alia.* Objectum inquit, *predestinationis est homo consideratus & ut nondum conditus, & ut conditus, sed adhuc integer, & ut lapsus peccatoq; corruptus.* Quam paucis verbis rem maximam expedivit? Nunquam clariùs apparuit, falsum omne resolvi tan-

Pag. 52.

Pag. 53.



dem in absurdum, quàm in hoc ipso. Experiamur. Objectum vocant id in quod quis agens vel considerans mente sua respicit, ad instar sagittarii collimantis ad scopum. Differt autem hoc longè à fine & forma. Habet enim rationem materiae, non quidem subjectivæ sive τὸ ὑποκειμένον, sed ejus ad quod respicitur, sive in quam quis mentem dirigit, hoc est τὸ ἀντικείμενον. Vulgò vocant materiam circa quam. Idcirco sicut scopus est unus collimantis, ita objectum unum est considerantis. Nam ut oculus sagittarii non potest plures sibi scopos objicere quos feriat: ita non potest mens contemplantis plura sibi proponere objecta quae consideret. Respondeo. An sententia mea de objecto prædestinationis similis sit somnio egri, inepta scilicet inconcinna & absurda, mox (ut spero) apparebit. Age igitur.

*Id in quod quis agens vel considerans mente sua respicit, est objectum, ait Bertius.*

*Atqui in hominem consideratum & ut nondum conditum, & ut conditum, & ut lapsus, Deus considerans (nempe prædestinans) mente sua respexit, dico ego.*

*Ergo homo consideratus & ut nondum conditus, & ut conditus, & ut lapsus, est objectum Dei prædestinantis: ut habet sententia mea quam Bertius hic oppugnat.*

Propositionem non potest negare Bertius: quia vi reciprocationis deducta est ex definitione ab ipso met posita. Nec assumptionem negare poterit. Quippe, quum Deus hominem in tempore condiderit & labi siverit: necesse est fateri, quòd ab æterno decreverit eum condere & finire ut laberetur. Ergo necesse est fateri & hoc, quòd eum considerarit & ut condendum, & ut conditum, & ut lapsus. At (excipit Bertius) objectum simile est scopo: Scopus autem ad quem quis collimat, unus tantum est: ergò & objectum considerantis unum tantum erit: non igitur erunt Dei prædestinantis objecta tria, puta *homo nondum conditus, conditus & lapsus*. Respondeo: Primum, non omne objectum simile est scopo: sed tantum illud quod suscipit rationem finis. Etsi enim finis & objectum diversa sunt: tamen contingit ut una eademque res utriusque rationem suscipiat. Verbi gratiâ. Victoria est & objectum & finis imperatoris bellum suscipientis. Objectum: quia mente sua in illam respicit, tanquam rem jucundam & utilem. Finis: quia ad illam consequendam bellum dirigit. Bellum verò quod imperator suscipit, est quidem objectum illius: nam in illud mente sua respicit, & ad victoriam illud dirigit: non autem habet rationem finis, sed medii. Sic gloria misericordiæ & justitiæ Dei habet rationem & finis & objecti. Finis: quia ad utramque patefaciendam certa media destinavit. Objecti: quia in utramque tanquam

rem



rem bonam & jucundam mente suâ respexit. Deinde etsi homo non possit simul & eodem momento respicere mente suâ in objecta diversa, sed uno eodemque momento tantummodo in objectum unum: sicut sagittarius simul & semel non nisi ad unum scopum collimare potest: tamen dubium videri non debet, quin Deus uno momento plura objecta intueri possit, propter summam divinæ mentis perfectionem. Ad hæc quum homo consideratus ut nondum conditus, & ut conditus, & ut lapsus, objectum prædestinationis divinæ à se statuitur: re ipsa unum tantum objectum statuitur, puta homo: triplex autem modo considerandi.

Pergit: Prætere a unum interroganti plura respondere, nihil est responde- Page 82.  
re. Est enim ac si quis in iter inquirenti diversas vias commonstret, exsertis pluribus digitis, dicatq; illac ito. Ut in hoc argumento, si quis quærat, Quid illud sit quod agimus, hoc est, quod sit objectum considerationis nostræ? rectè dicam, si respondero, nos agere de prædestinatione divinâ. Sed si dicam, nos agere de prædestinatione & de S. Trinitate, & de Christo mediatore, mentiar: quia plura objecta unius tractationis esse non possunt. *μια δ̄ ἄνθρωπος ἐστὶν ἀντικειμένη.* Quæ quum ita sint: quid vênit Piscatori in mentem, ut pro uno objecto daret nobis quatuor? daretque eadem opposita, & quidem contradictoriè? Hominem non creatum & creatum: non lapsum & lapsus? Nónne hoc tantum est ac si quis diceret, eundem eodem tempore respicere Orientem & Occidentem, Meridiem & Septentrionem? Respondeo: Rursum Bertius nodum in scirpo quærit: & quod rectè dictum est, sophisticè cavillatur. Quæstio fuit à me proposita, *Qua ratione seu quo respectu homo sit objectum prædestinationis.* quo ipso utique præsupponitur, hominem esse objectum prædestinationis. at vocabulo *hominis* significatur utique res una: in quæstione quidem proposita non res una singularis, seu homo unicus: sed unum collectione partium, nempe totum genus humanum è multis singularib. hominibus constans. Interim tamen objectum illud prædestinationis unum, est etiam triplex, propter diversam considerationem. Consideratur enim vel ut nondum conditum, vel ut conditum integrum, vel ut conditum lapsum: & sanè hoc triplici modo à Deo prædestinante consideratum fuit: sicut in appendice libelli Refutationis calumniæ Bertianæ demonstravi pag. 176. Quam demonstrationem Bertius non refutat: quia neutri præmissæ quicquam opponit.

Porro similia quæ hîc affert Bertius, nullam vim habent ad ever- tendum sententiam meam de objecto divinæ prædestinationis: quod ego unum esse docui re ipsa, triplex autem consideratione & conditione,

L



nam similia illa loquuntur de objectis re ipsa disparatis, puta de viis diversis, item de objectis disciplinæ seu tractationis alicujus diversis. In quo utroque simili etiam hæc dissimilitudo est, quòd homo quidem non potest simul considerare objecta disparata, nec simul aspicere vias diversas, puta quarum una sita est ad orientem, altera ad occidentem, tertia ad meridiem, quarta ad septentrionem: at Deus uno momento considerare atque intueri potest objecta disparata quamplurima, propter mentis suæ perfectionem.

Postremò falsò mihi tribuit Bertius, quòd pro uno prædestinationis divinæ objecto dem quatuor. Dedi enim tantùm tria, idque respectu considerationis diversæ: nempe hominem consideratum & (1) ut nondum conditum, & (2) ut conditum integrum, & (3) ut conditum lapsum.

Pag. 53.

Pergit: *Adhæc si idem simul non potest esse non creatum & creatum, non lapsum & lapsum: quomodo potest idem homo sine mendacio ut talis considerari, & quidem eodem intuitu? Vaga est & natans cogitatio quæ ita fluctuat inter Ens & Non ens: quæq; à non lapso ad lapsum trajicitur: quum in objecti consideratione hoc requiratur, ut & ipsum unum sit, & animus à cæteris cogitationibus immunis purgatusq; in unum illud intendat.* Respondeo: Nempe res ita habet in consideratione humana, id est, qua homo aliquid considerat: at hinc non sequitur, eandem esse rationem considerationis divinæ, id est, qua Deus res considerat. Is enim propter mentis suæ perfectionem quamplurima simul considerare atque intueri potest.

Pag. 54.

Pergit: *Deinde objectum debet esse quasi δεικτὸν: at multiplex non est δεικτὸν: ergo non potest esse objectum. At qui non creatum & creatum, integrum & lapsum, sunt multiplex quid: quomodo ergo possunt unum objectum constituisse?* Respondeo. Imò multiplex est δεικτὸν, etiam respectu hominis. Potest enim oculis hominis demonstrari res ex diversis partibus constans, ut facies alicujus hominis: in qua simul conspiciuntur frons, oculi, nasus, labra, os, mentum: item res diversis adjunctis prædita, ut tunica versicolor, coloribus variis prædita. Et licet multiplex non esset δεικτὸν respectu hominis: id tamen nõ obstaret quò minus esset δεικτὸν respectu Dei.

Pag. ead.

Pergit: *Neg; verò minor est in prædicato ejusdem decreti difficultas. Nam quum ante decretum creationis non potuerit concipi decretum in quod venirent calum & gehenna (nam quod non est, non potest prædicari) sequitur, non potuisse rationem prædicati habere in decretis istis gloriam cali æternam & dolores inferni æternos. Et tamen talia nobis decreta procudit Piscator.* Respondeo: Deus condidit hominum alios ad gloriam cælestem, alios ad interitum in gehenna perpetiendum, Rom. 9. v. 21. 22. & 23. Ergo homines ita condere decre-



decrevit. Et per consequens prius (si ordinem nature, non temporis spectemus) decrevit creare cælum & terram, quam homines: quia finis ordine nature prior est destinatis. Imò quòd Deus homines ita ut dictum est condere decreverit, expressis verbis testatur scriptura: de salvandis quidem Matth. 25. v. 34. ubi Christus affirmat, *regnum caeleste paratum ipsis esse ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, à jactis fundamentis mundi*: Ergo antequam ipsi essent conditi. De perdendis verò in epistola Judæ ver. 4. scribit ille apostolus, *quòd jam olim prius descripti (id est, ab æterno prædestinati) sint ad judicium seu damnationem æternam*. Atqui (excipit Bertius) *quod non est, non potest prædicari*. Nempe quod nullo modo est, non potest prædicari. Creatio autem cæli & gehennæ ad recipiendum salvandos & perdendos, fuit in decreto & per consequens in præscientia Dei ab æterno: itaque respectu illius decreti atque præscientiæ potuit prædicari. Sic Paulus dicit, *gratiam illam qua Deus nos servavit & vocavit vocatione sancta, DATAM nobis esse in Christo Jesu ante tempora secularia*, 2. Tim. I. v. 9. At ante tempora secularia gratia illa nondum fuit, nec nos ipsi fuimus: quomodo igitur potuit nobis tum dari? Nempe data est non actu, sed decreto & proposito Dei immutabili. Itaque temeraria & petulans est illa Bertii hoc loco exclamatio: *qua sententiam illam meam delirationem incredibilem nominat, & errorem talem ut non satis sit eum stultitiam dicere*.

Pergit: *Et hæc ipsa tamen nobis Piscator vult demonstrare ex epistola B. Pag. 54. Pauli ad Romanos. Quid est operosè nugari, si hoc non est?* Respondeo: At qui fit quòd demonstrationem illam meam ex epistola ad Romanos non recitat & refutare instituit? Nempe quia refutare non potuit: alioquin haud dubiè id facturus: quippe qui tam accuratè in ea quæ à me scripta sunt inquirat. Putavit autem se munere disputatoris probè hîc perfunctum, si dicat me, dum sententiam meam ex verbis apostoli demonstro, *operosè nugari*.

Pergit: *Sed audiamus rationem quam affert. Hoc est, inquit, objectum Ibidem. prædestinationis, & Deus hominem consideravit ut talem. Cur? Quia nisi tribus istis mediis intervenientibus, ad fines illos pervenire non potuit. Tum subjicit, Ergone omnia media quæ ad fines ducunt, accumulanda erunt & coacervanda ad constituendum objectum prædestinationis? &c.* Respondeo. Falsò recitavit Bertius verba mea, nempe mutilatè: & quam sententiam ego attuli tanquam rationem propositionis connexæ in meo syllogismo, eam ille retulit ad propositionis illius consequens. Verba mea hæc sunt, pag. 176. meæ Refutationis.



*Sic Deus hominum alios ab aeterno decrevit servare ex misericordia, alios punire ex justitia: ergo homines tum servandos tum puniendos consideravit & ut nondum conditos, & ut conditos integros, sed labi potentes, & denique ut lapsos. Ratio: quia nisi tribus istis mediis intervenientibus ad fines illos pervenire non potuit, ut per se patet.*

*At qui verum est antecedens, ut supra est demonstratum. Verum igitur est & consequens: ac proinde homo est predestinationis objectum triplici illo modo consideratus.*

Hujus syllogismi nec propositionem refutare instituit Bertius, nec illius rationem, nec denique assumptionem. Ergo totum intactum & salvum relinquit. Veruntamen ut aliquam ejus partem oppugnare videatur, arripit verba illa, *Quia nisi tribus istis mediis &c.* & fingit se illis probare voluisse propositionis consequens: atque ita suo more statum quaestionis pervertit, sui que cerebri commentum, non autem sententiam meam refutat.

*Pag. ead.*

*Pergit: Quanto facilius & verius est, dicere, Decretum primum debet esse de primo extra Deum objecto. Ergo de creatura. Inter creaturas vero voluit Deus esse hominem. Conveniens autem erat, homini dare legem: decrevit ergo Deus eam dare, & quidem, ut decebat, cum comminatione mortis, si eam homo violaret: & promissione salutis, si servaret. Praevideit lapsum. Hinc nova legislationis initium in Filio ex plenitudine gratiae & misericordiae suae: itemque initium predestinationis, credentium quidem ad salutem & gloriam, ceterorum ad exitium. O miserum & audacem Theologum, qui tam licenter extra verbum Dei de divinis decretis philosophatur! Fuerit sane hoc illi facile: at haec ipsa quae hic affert, vera non sunt. Primum enim ordinem invertit, dum decretum de homine creando facit primum, quod revera est ultimum. Creavit enim Deus hominum alios ad salutem, alios ad exitium, Rom. 9. v. 21. 22. 23. unde intelligitur, creationem hominis ad ejusdem vel salutem vel exitium, habere se ut medium destinatum ad finem: Finis autem mediis ordine naturae prior est: quippe qui agentem ad media inquirenda ac praeparanda impellit. Quod autem primum est in intentione, id in executione est ultimum: & vicissim. Deinde predestinationem suspendit à praevisione seu praescientia: quum tamen Deus praevidere nihil potuerit, quod non antè decreverit facere vel faciendum permittere. Tum predestinationem ad salutem deducit ex praevisa fide; quum tamen fides sit predestinationis effectum, juxta illud Pauli Rom. 8. v. 30. *Quos praedestinavit, eos etiam vocavit.* scil. efficaciter: id est, fide donavit. Postremò praedicationem Evangelii per insignem ἀκυρολογία vocat legislationem, prorsus praeter consue-*



consuetudinem sacrae scripturae. Nam etsi Paulus Rom. 3. v. 27. dicit, *gloriationem* (scil. hominis coram Deo) *exclusam esse per LEGEM fidei*: tamen ipsam Euangelii praedicationem nusquam nominat legislationem: & vocabulo legis ibi utitur per Hebraismum ad significandum doctrinam: id quod vox Hebraica (nempe תּוֹרָה thoráh) quae usitate vocabulo legis redditur, proprie significat.

Pergit: *Examinemus nunc, si placet, primum illud & reliqua omnia antecedens Dei decretum, Volo gloriam, Appeto gloriam, Ducor gloriae cupiditate. At qui gloria Dei non ex voluntate bonum illud primum prosequente existit, sed sua sponte ex natura ipsius boni fluit. Est enim gloriosus Deus natura sua, citra omnem deliberationem. Quod si deliberando id proprie consequeretur Deus ut gloriam haberet: non spectaretur gloria in sapientia, potentia, bonitate, aeternitate, immensitate: quae quum natura sint, sub deliberationem proprie non cadunt.* Respondeo: Pervertit rursus Bertius statum quaestionis: & falso mihi tribuit, quae ubi in Refutatione illa mea vel in aliis meis libris scripta sint, non indicat, neque indicare potest. Supra autem in synopsi decretorum divinatorum quam ex disputatione mea adversus Schafmannum collegit, & in tabella spectandam proposuit, mea de primo Dei decreto verba recte recitavit, pag. 35. in quibus nusquam reperiuntur ista quae hoc loco mihi tribuit, *Volo gloriam, Appeto gloriam &c.* Neque etiam ex verbis illis meis sententia ista potest deduci. Verba mea sunt haec, *Fines principales sunt, PATEFACTIO misericordiae in salute aliquorum, & PATEFACTIO iustitiae in interitu reliquorum. Et alibi, Ultimus finis est PATEFACTIO gloriae Dei, nimirum tum misericordiae in salute electorum, tum iustitiae in exitio reprobatorum.* Unde jam percipitur, primum ex decretis Dei circa hominum salutem & exitium, fuisse decretum de PATEFACIENDA ipsius gloria, nimirum gloriae tum misericordiae tum iustitiae. Hinc apparere cuilibet non caeco potest, Bertium pervertere statum quaestionis: quippe qui pro PATEFACTIONE gloriae substituit GLORIAM ipsam. Unde jam & illud intelligitur, sententiam meam non everti per illa quae hic commemorat, & identidem (ut verbosus est) repetit de gloria Dei naturali. Neque enim ego illam usquam negavi. Et affirmatio illius, patefactionem ejusdem non tollit. De patefactione autem illa quae à me scripta sunt, desumpta sunt ex apostolo Rom. 9. v. 22. & 23. ubi ita legitur, *Quid si vero VOLENS ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate vasa irae coagmentata ad interitum: & UT NOTAS FACERET divitias gloriae suae erga vasa misericordiae, quae preparavit ad gloriam?* Deinde non contentus verbo VOLENDI quo in hac quaestione utitur apostolus,



Bertius tanquam synonyma adjungit verbum APPETO, item DUCOR CUPIDITATE. Nimirum ut innuat, Deo à me tribui desiderium gloriæ vitiosum, quale in hominibus esse solet.

Pag. 56.

Pergit: *Dicet forte, vera quidem hæc esse: sed Deum eâ gloriâ non contentum, talem gloriam appetiisse, qualem ipse describit, quæ scilicet primùm cum omnium peccato, postea verò cum plurimorum exitio sempiterno esset conjuncta. Sed hoc sicut sine ratione ab ipso adseritur, ita cum gravissima ratione à nobis rejicitur. Nam & talem gloriam appetere, est gloriam appetere: & quemlibet gloriæ appetitum præstaret Deo tribuere quàm istum. Respondeo: Adhuc persistit Bertius in status perversione. Neque enim ego scripsi, Deum appetiisse gloriam: sed voluisse patefacere gloriam tum misericordiæ suæ in peccatis condonandis, tum justitiæ in peccatis puniendis. Deinde patefactionem illam gloriæ non posui propriè & per se vel in peccati permissione, vel in plurimorum hominum exitio: sed in misericordie peccatorum remissione, & justa eorundem punitione. Quare rursus hîc statum quæstionis pervertit Bertius.*

Ibid.

Pergit: *Profectò multum refert, dicamúsne bonitatem Dei esse causam primam rerum extra Deum, an desiderium gloriæ. nam qui huc cuncta referunt, in Deum concipiunt ad gloriam suam qua carere non vult, ita referre omnia, ut etiam mala fieri velit, eaque ordinet primò & procuret, non habiturus alioqui unde ex malis suam quoque gloriam possit consequi. Qui verò ad bonitatem Dei conferunt omnium rerum causam, in Deum concipiunt qualis est, sanctum, verum, justum, potentem, misericordem, gloriosum, nullius indigentem, & ex copia bonitatis suæ omnia facientem. Respondeo: Adhuc perseverat Bertius in perversione status: quatenus mihi tribuit, me docere, desiderium gloriæ in Deo, esse causam primam rerum extra Deum. Deinde non rectè sic argumentatur, Bonitas Dei est causa prima rerum extra Deum: Non igitur desiderium gloriæ. Sunt enim illa diversa tantùm, non autem opposita. Tertio non rectè pro absurdo habet, quòd Deus etiam mala fieri velit, eaque ordinet primò & procuret. Nam primùm nisi Deus mala fieri vellet, fieri non possent. Invito quippe Deo nihil omnino fieri potest, quum ipse sit omnipotens. Deinde scriptura idem expressis verbis testatur. Certè mala erat proditio qua Judas Jesum prodidit Judæis: mala item occisio Jesu à Judæis & gentibus perpetrata: & tamen scriptura expressè utramque consilio & decreto Dei tribuit, Actor. 2. v. 23. & cap. 4. vers. 27. & 28. Quarto iterum non rectè argumentatur: Qui ad bonitatem Dei conferunt omnium rerum causam, in Deum concipiunt*  
qualis



qualis est, sanctum, verum &c. Ergo qui omnium rerum causam conferunt ad desiderium gloriæ in Deo, illi Deum talem non concipiunt. Desiderium enim gloriæ in Deo, id est, voluntas atque propositum patefaciendi suam gloriæ, non pugnat cum ejus sanctitate, veritate & reliquis virtutibus hîc commemoratis: sed potiùs illas præsupponit: quum nisi illæ in Deo essent, patefieri creaturis rationalibus non possent.

Pergit: *At, inquit (Piscator) Deus omnia dicitur operatus propter se, etiam impium ad diem malum. Rectè: sed primùm ordinare impium ad diem malum, non id libentiæ est, sed justitiæ. Deinde non Deus malos facit: sed quisquis se malum facit contra voluntatem Dei, id ille consequitur, ut à Deo, justo pariter legislatore & iudice ordinetur etiam nolens ad diem malum.* Respondeo: Rursum à quæstione proposita deflectit Bertius. Quæstio hîc est, An Deus impium fecerit ad diem mali; Bertius autem respondet de impii ordinatione ad diem mali. Quod si responsio illa afferatur ad propositam quæstionem, inepta est: nempe justitiæ esse, quòd Deus impium fecerit ad diem mali. Quomodo enim justitiam in impium exercere potuit, quum is nondum esset factus? Deinde falsò mihi tribuit, quasi scripserim, ordinationem impii ad diem malum, esse LIBENTIÆ. Vocabulum istud nusquam in mea de decretis divinis doctrina reperitur: sed usus sum vocabulo BENEPLACITI, quo utitur apostolus Eph. 1.5. Tertiò etsi ordinatio divina impii ad diem mali est justa: quia omnes Dei actiones justæ sunt: tamen non rectè dicitur eam esse justitiæ: hoc est (ut Bertius intelligit) à justitia Dei tanquam à causa profectam esse: quia propriè loquendo profecta fuit à Dei potestate & libera voluntate, seu (ut apostolus loquitur) beneplacito, Ephes. primo, vers. quinto, Quòd autem dicit, Deum non facere malos, id non simpliciter verum est: dicit enim Salomon expressè, quòd *Deus fecerit impium*: Sed hoc demum sensu verum est, quòd Deus malis non inferat seu infundat malitiam, seu denique quòd malitiam in eis non efficiat. Interim tamen eos fecit, id est, creavit in Adamo: bonos quidem & integros, quippe ad imaginem ipsius factos: veruntamen tales ut mali fieri possent, & hoc consilio ut mali fierent. Neque enim certè præter consilium DEI, mali evaserunt, quippe sine cujus consilio nihil prorsus in mundo accidit. Itaque falsum est quod dicit Bertius, *hominem se malum facere CONTRA voluntatem Dei*. Ad hæc frustra adjecit voces illas ETIAM NOLENS, ubi dicit, *Qui se malum facit, id consequitur ut à Deo ordinetur ETIAM NOLENS*

Pag. ead.



*ad diem malum.* Quasi scilicet quum dicitur, hominem ad diem malum ordinari quum seipse nondum fecit malum, quippe ipsemet nondum factus; sequatur, dicendum esse, eum *VOLENTEM* sic ordinari. Quomodo enim potest velle, qui nondum est? Præterea non rectè dicit Bertius, *hominem ad diem malum ordinari à Deo, justo pariter legislatore & iudice.* Nam si homo ita ordinaretur à Deo ut justo legislatore & iudice, oporteret eum demum ordinari postquam esset à Deo factus & lex ei lata: ac proinde falsitatis argueretur dictum Salomonis, *DEUS OPERATUS EST (SEU FECIT) impium ad diem mali.*

*Ibidem.*

*Pag. 55.*

Pergit: *Quòd autem Deus dicitur creare omnia propter se: cur magis ad gloriam consequendam refertur, quàm ad bonitatem communicandam? Verè enim intelligitur Deus creasse omnes propter se, quando propter bonitatem, potentiam, sapientiam suam omnia concipitur creasse. Neq; ex his minùs (imò verò & magis) refulget Dei gloria, quàm ex inani illo commento desiderata à Deo gloria & pernicie absoluta plurimorum. Est enim Deus verè Elschaddai, Deus ἀντιπροσποφᾶ: neq; vel peccato vel peccatore opus habet ad suam gloriam. Respondeo: Primò, vocabulum illud PROPTER SE in dicto illo Salomonis notare finem seu causam finalem, manifestum evadit ex membro altero, ubi dicitur, AD diem mali. Id est, In hunc finem, ut impium afficiat malo, atque ita justitiam suam patefaciat. Quòd si notatur finis, aliud intelligi non potest quàm gloria Dei. Hæc enim est summus finis quem Deus in omnibus actionibus suis propositum sibi habet. Et Bertius ipse paulò antè gloriam Dei appellavit *bonum illud primum*: quo vocabulo utique intelligit bonum summum & ante omnia expetendum. Bonum autem & finis sunt ἀντιπροσποφᾶ. Quare expedire se non poterit Bertius, quin fateatur, vocabulum illud (nam in Hebræo unica vox est) PROPTER SE, in dicto proposito Salomonis idem valere, ac si dixisset, PROPTER GLORIAM SUAM. Quod quid aliud est, quàm *Ad gloriam consequendam.* Nempe à creaturis rationalibus, gloriam ejus nativam ex actionibus & operibus ejus agnoscentibus. Et certè ipsa Bertii verba quæ expositioni huic opponit, sic resolvi necesse est. Ait, *Deus dicitur omnia creare propter se: id est, ad bonitatem communicandam.* At cur communicat bonitatem? Nonne ut agnoscat beneficis? Rursum dicit, *Verè intelligitur Deus creasse omnes propter se, quando propter bonitatem, potentiam, sapientiam suam omnia concipitur creasse.* Hic quæro, quo sensu dicatur Deus omnia creasse propter suam bonitatem, potentiam &c. An ut illas virtutes sibi acquireret? Nequaquam: quia illas habet à natura. An verò ut illas virtutes creaturis rationalibus patefaceret, & propter illas ab eis glorificaretur? Certè*

Certè



Certè nullum tertium hîc dari posse videtur: & Bertium tam impudentem fore non puto, ut hoc negare aufit. Quid quod ille hanc gloriæ divinæ patefactionem satis apertè fatetur, dum ait, ex commemoratis illis Dei virtutibus gloriam Dei REFULGERE. At ubi intelligit illam refulgere? Nonne in oculis mentium angelicarum & humanarum? Sicut sol refulget in oculis humanorum corporum. Quare sibi ipse contradicit Bertius, quum divinum illud desiderium gloriæ, nempe gloriæ creaturis rationibus patefaciendæ, *inane commentum* appellat. Quod autem affuit, *gloriam illam* (ex doctrina scil. Piscatoris) à Deo desideratam esse EX PERNICIE ABSOLUTA plurimorum, falsò mihi impingit, & sententiam meam mutilatè refert. Pernicies absoluta ea dicitur, quæ alicui infertur ex absoluta alterius voluntate, præter ullum ipsius meritum. At ego semper docui, perniciem reprobis à Deo inferri propter ipsorum peccata, quibus illam sint commeriti.

Quòd annectit, *Deum non opus habere vel peccato vel peccatore ad suam gloriam*: verum est, si intelligatur de gloria Dei ipsa per se: est enim ille, Deus gloriæ (ὁ θεὸς τῆς δόξης, Act. 7. v. 2.) id est, gloriosus. At interim Deus opus habuit & peccato & peccatore ad patefaciendum tum gloriam suæ misericordiæ in peccato remittendo, tum gloriam justitiæ in eodem puniendo.

Postea sententiæ meæ opponit dicta quædam Irenæi & Augustini. *Pag. 56.* Sed illa præterquàm quòd non habent vim probandi, sententiæ meæ non adversantur. Non enim negant, Deum creavisse hominem ad PATEFACIENDUM suam gloriam: sed Irenæus dicit, *Deus non quasi indigens plasmavit Adam*. Augustinus item sermone ad Deum converso, *Quid tibi deesset*, inquit, *ad bonum quod tu tibi es, etiam si ista vel omnino nulla essent, vel informia remanerent? Non ex indigentia fecisti &c.* Item, *Non ut tuum gaudium compleretur ex eis.* *Pag. 57.*

Pergit: *Quantum hæc* (nempe quæ ex Irenæo & Augustino recitata sunt) *ab illis dissident, quæ jam antè ex Piscatore audivimus? Opus habuit Deus peccatore. Falsum est, Deum non opus habere peccatore: opus namque eo habet ad PERFICIENDAM gloriam suam.* Tum subjungit: *Profectò si hæc vera sunt: debuit omnino Adam labi, ut Deo viam sterneret ad fines suos principales. quod quid est aliud quàm si dicas: Deus ut hunc cruci suffigat, debet procurare ut latrocinetur?* Respondeo. Quæ recitata sunt ex Irenæo & Augustino, non dissident ab illis quæ ego scripsi de finibus hominum à Deo creatorum, seu (ut planiùs dicam) de finib. creationis hominum. Illi negant, Deum opus habuisse ut ullam creaturam faceret: ego affirmo, Deum opus ha-

M



buisse peccatore ad hoc, ut patefaceret suam gloriam partim in peccatis ex misericordia condonandis, partim in eisdem ex justitia puniendis. Hic & subjecta & prædicata diversa sunt. Nulla igitur est in illis contradictio, disfidium nullum. Deinde falsò mihi tribuit Bertius, me scripsisse, quòd Deus opus habeat peccatore ad gloriam suam PERFICIENDAM. Non enim scripsi, Ad perficiendam, sed AD PATEFACIENDAM. Quare quæ hic contra istam sententiam disputat, ad me nihil attinent. Ne quis autem putet, vel ipsemet dicere possit, vocem istam pro altera irrepisse per mendum typographicum; obstant duo: primùm quòd Bertius hic vult ostendere disfidium verborum Irenæi & Augustini à verbis meis: at illi asseruerunt Dei perfectionem. Cum hac autem assertionem pugnat pronuntiatum illud, Deus opus habet peccatore ad gloriam suam perficiendam: quod Bertius hoc loco mihi tribuit. Istud verò quod in scriptis meis reperitur, Deus opus habet peccatore ad gloriam suam patefaciendam, cum assertionem Irenæi & Augustini de Dei perfectione non pugnat. Deinde suspicioni mèdi typographici in illa voce PERFICIENDAM obstat & hoc, quòd in proximè sequente periodo, ubi adhuc in dicto meo de necessitate peccatoris refutando immoratur, vox eadem bis repetitur: ut mox apparebit. Adhæc valde improprie & insolenter utitur hic verbo DEBERE, quo Latini ad officium significandum uti solent. Ille autem eo abutitur pro eo quod Latini dicunt, *Necesse est*: quum loquuntur de necessitate consequentiæ. *Si hæc vera sunt*, inquit, DEBUI omnino Adam labi. Imò non debuit: sed necesse fuit, necessitate scil. consequentiæ. Sic mox, *Deus ut hunc crucifigat*, DEBET procurare ut latrocinetur. Imò non debet: sed necesse est necessitate consequentiæ: si modò in isto exemplo ponatur hypothesis, solos latrones crucifigendos esse. Hoc enim posito; si quis vult ut aliquis crucifigatur, necesse erit procurare ut ille latrocinetur. Sed fortasse Bertius connexum istud concedet: negabit autem assumptionem, *Deus vult ut hic vel ille cruci suffigatur*: ac proinde sequetur, falsam quoque esse conclusionem, *Necesse est ut Deus procuret hujus vel illius latrocinium*. Sed assumptio illa facile probatur ex verbo Dei. nam certè Deus voluit ut cruci suffigeretur Christus, Actor. 2. v. 23. ac proinde procuravit quoque latrocinium Judæorum quo Christum cruci suffixerunt.

Pag. ead.

Pergit: Nam quòd ille distinctiunculâ sese evasisse existimet, dicatq; non quidem opus habere Deum peccatore ad beatitatem suam, sed opus habere ad PERFICIENDAM suam gloriam, nihil est. Neq; enim intelligi quis in se perfectè beatus potest, qui alieno vel bono vel malo opus habet ad gloriam suam

PERFI-



PERFICIENDAM. EN VOCEM PERFICIENDAM adhuc bis repetitam, ut paulò antè monui. Et offert se hîc tertia ratio, ex qua percipitur, illam vocem non irrepsisse pro voce PATEFACIENDAM per mendum typographicum, sed ita ab ipso Bertio scriptam esse: quia oppugnat hîc distinctionem à me allatam inter ipsam Dei beatitatē & patefactionem gloriæ ejus: & beatitatem illam negat esse perfectam, si Deus opus habeat re aliqua ad gloriam suam (nempe illam ipsam beatitatem) perficiendam. Sed quid hæc ad me: quum sententia illa, quam hîc oppugnat Bertius, à me non sit scripta?

Pergit: *Videte, reverendi fratres, qualia consequantur monstruosam istam Ibidem. finis malè concepti constitutionem. Fingitur Deus indigus gloria, indigus peccati alieni, simulator atq; dissimulator: qui legem suam tanquam plagam insidiosè obtendat ad irretiendum hominem. Committitur in ipso cum honestate utilitas: & reclamante naturâ ejus, omniq; experientiâ, contenditur, Deum suæ gloriæ emolumenta non tantùm aliorum saluti, sed etiam suæ bonitati, sanctitati, honestati prætulisse.* Respon. Primùm, Finis conditi à Deo hominis, seu creationis hominis, non est malè à me conceptus: quia conceptus est ex verbis apostoli Rom. 9. v. 21. 22. & 23. Ac proinde constitutio illius non est monstruosa: sed recta & pulchra, non quidem judicio naturali rationis humanæ: sed judicio spiritali piæ mentis, acquiescentis in verbo Dei. Nec finxi Deum indigum gloriæ, vel indigum peccati alieni: sed scripsi, Deum opus habere peccatore ad patefaciendam gloriam suæ tum misericordiæ in peccatis remittendis, tum justitiæ in eisdem puniendis. Neque finxi, Deum esse simulatorem atq; dissimulatorem: quæ nomina hîc ad significandum vitia usurpantur. Etsi interim negari non potest, Deum præ se tulisse quasi vellet ut Abraham jugularet filiû, quum hoc ipsum ei mandavit: quod quid aliud est quàm, simulavit se id velle? Revera n. noluit: quia voluit impedire, atque etiam impedivit. Sic de Christo expressè dicit Lucas, quòd quum appropinquassit vico Emmaunti unà cum duobus discipulis simulaverit (ωροσεποιεῖτο) se iturum longius, Luc. 24. v. 28. An propterea Bertius hinc deducet, Christum fuisse simulatorem? Porò etsi negari non potest, Deum dedisse homini integro legem, hoc consilio, ut permetteret, atque etiam procuraret, illius transgressionem: tamen nefas est hinc deducere, eum legem suam tanquam plagam insidiosè obtendisse ad irretiendum hominē. Quicquid n. Deus agit atque instituit, sanctè agit atq; instituit: ut ut rationi humanæ, Deū cum homine comparanti, secus videatur. Item etsi Deus ad patefaciendum gloriam suam constituit permittere atque etiam procurare, ut homo laberetur:



hinc tamen non sequitur, committi in ipso honestatem cum utilitate: quia nec utilitatem suam in proposito patefaciendi suam gloriam spectavit: nec decernendo peccati permissionem atque procurationem, inhonesti quicquam egit. Nam Deo utilitatem suam quærere non est opus, quum sit perfectè beatus: nec agere inhonestum quicquam potest, quum per naturam sit sanctus. Quòd autem gloriam suæ justitiæ quorundam salutis prætulit: quis eum hoc nomine reprehendat? quum habeat potestatem agendi de suis creaturis quicquid vult. Quippe *cujus vult, miseretur: quem autem vult, indurat*, Rom. 9. v. 18. Nec verò inde sequitur, quòd prætulit gloriam suam suæ bonitati, sanctitati, honestati: quippe quum justitia ejus vindicatrix, non minùs quàm illæ virtutes, ad gloriam ejus pertineat: neque per eam illæ evertantur.

Pag. 57.

Pergit: *Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere cõmodum, si quid Tullio credimus (3. de offic.) magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cetera quæ possunt aut corpori accidere, aut reb. externis. Unde autem hoc habent homines? A Deo scilicet. Quòd si bonum illud est, & si habent illud homines à Deo: consequens est, ut multò idem excellentius sit in ipso Deo: in quo omnia bona nobiliore, præstantiore, ac luculentiore modo, quàm in hominibus, existunt.* Respondeo: Primùm falsò mihi tribuit Bertius, quòd doceam, Deum hominis incommodo suum augere commodum. Doceo cum scriptura, Deum homines aliquos prædestinasse ad exitiũ, ut in exitio illis propter peccatum inferendo PATEFACERET gloriam justitiæ suæ. At ista patefactione non auxit Deus suum commodum: quia citra illam patefactionem nihilominus perfectè beatus erat, ita ut non opus ei fuerit beatitatem suam, atque ita commodum suum, augere. Deinde posito, quòd Deus hominis incommodo voluerit suum augere commodum: non tamen hoc erit contra ipsius naturam: quia ad naturam ipsius pertinet summa potestas in ipsius creaturas. Adhæc non sequitur, Hoc vel illud est contra naturam hominis: Ergo etiam contra Dei naturam est: quia Dei natura plus complectitur quàm natura hominis. Natura Dei complectitur æternitatem, infinitatem, immutabilitatem: at horum nihil complectitur natura hominis, sed illa omnia contra naturam hominis sunt. Certè contra naturam hominis integri (qualem eum Deus condidit) est, velle alterius hominis incommodum: at tamen contra naturam Dei non est, velle multorum hominum incommodum: quippe qui *quem vult, indurat*: Rom. 9. v. 18. quæ induratio cum maximo illorum incommodo, nempe cum exitio sempiterno, conjuncta est.

Per-



Pergit: Atque hac quidem in parte multo mihi videtur melius sanctiusq; *Ibidem.*  
 de virtute sensisse Plato quàm Piscator. Ille enim in nobis non bona, sed imagines  
 quasdam atq; umbras duntaxat docuit esse bonorum, quarum essentia ipsa reside-  
 rent in Deo: at Piscator quum bona quadam dixit esse in nobis, contraria posuit in  
 Deo: ut si candor & veracitas in nobis sit bonum, in Deo bonum sit simulatio, ali-  
 térque loqui quàm sentiat: si in nobis velle malum peccatum est, in Deo illud bo-  
 num sit. Cur? Quia id ipsius commodis expediat. Quæ quum absurda sint atq; im-  
 pia: non debuit Piscator fingere, Deum sui compendii causâ omnium peccatum,  
 plerorumq; verò etiam exitium voluisse. Respondeo: Primùm, rursus mihi  
 falsò tribuit Bertius, quòd doceam, Deum vel simulare, vel malum vel-  
 le propterea, *QUIA ipsius commodis expediat.* Item, Deum compendii sui cau-  
 sâ omnium peccatum, plerorumq; verò etiam exitium voluisse: sed do-  
 ceo, Deum voluisse utrumque hoc ad *parefaciendum* gloriam tum mise-  
 ricordia tum justitiæ suæ: idque fretus verbis apostoli Rom. 9. v. 22. & 23.  
 ubi dicit, *Quid si verò VOLENS (Deus) OSTENDERE iram, & NOTAM*  
*FACERE potentiam suam, pertulit multâ lenitate vasa iræ coagmentata ad in-*  
*teritum: & UT NOTAS FACERET divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ,*  
*quæ preparavit ad gloriam?* Deinde falsum est, simulationem qua usus esse  
 legitur Deus (puta, quum tentavit Abrahamum, mandando ei jugula-  
 tionem filii) esse contrariam candori & veracitati quæ est in homine:  
 quippe quum etiam homo salvo candore & veracitate simulare aliquid  
 possit, ut testatur exemplum Christi Luc. 24. v. 28. qui simulabat se lon-  
 gius iturum. Et sic matres interdum absque ulla læsione candoris & ve-  
 racitatis simulant apud puerulos, se ab illis abituras, ipsosque deser-  
 turas: tantùm ut desiderium retinendi in illis accendant, quo ipsæ dele-  
 ctantur.

Porrò hoc loco recitat Bertius summam Philosophorum doctri- *Pag. 58.*  
 næ de comparatione utilis atque honesti in deliberationibus: quæ est,  
*utile honesto non esse præponendum, atq; adeò ne deliberanda quidẽ esse in quibus*  
*est turpis ipsa deliberatio.* Deinde doctrinam illam doctrinæ meæ de de-  
 cretis divinis opponit: ut ostendat, per hanc everti totam sanctitatis, ho-  
 nestatis, virtutis rationem. Verba ejus hæc sunt: *Maximam, inquit (Pisca-*  
*tor) partem hominum citra antecedentẽ culpæ rationem exitio destinavit (Deus.)*  
*Cur? Quia ita libuit. Subordinavit suæ gloriæ peccatum, nec voluit in Adami po-*  
*testate esse non labi. Cur? Ne sine suo excideret. Opus enim habuit finis consequen-*  
*di causâ peccatoribus. Neq; debet hæc Dei deliberatio conferri cum deliberatione*  
*Tiberiana: quia Tiberius aliter potuit, Deus non potuit. Videtis, viri fratres, si hæc*  
*vera sunt, totam sanctitatis, honestatis, virtutis rationem everti. Respondeo:*



Falsam mihi affingit Bertius causam, cur deliberatio Dei de permittendo atque procurando hominis lapsu non debeat conferri cum deliberatione Tiberiana de procuranda stupratione virginum: nempe *quia Tiberius aliter potuerit, Deus non potuerit*. Ego enim illis verbis hoc tantum indicavi obiter, quòd in illa quoque parte dissimilitudo sese offerat, Refut. meæ pag. 168. Vera autem causa, cur non debuerit Bertius decretum Dei cum mandato Tiberii conferre, est hæc: quòd mandatum Tiberii fuit crudele, decretum verò Dei nequaquam. Inspiciatur locus Refutationis meæ pag. 167. ibi, *At excipient*. Deinde non sequitur, si vera sunt illa quæ ego de divinis decretis scripsi, totam sanctitatis, honestatis, virtutis rationem everti. Non enim proposita sunt homini decreta illa ad imitandum: quæ si imitari vellet, peccaret, & illa verè κακοζηλία esset. Quippe locum hîc habet illud, *Duo quum faciunt idem, non est idem*. Scriptura autem sacra præter doctrinam de decretis illis divinis tradit quoque doctrinam de officiis hominum tum erga Deum tum erga proximum: quibus utique omnis hominum sanctitas, honestas & virtus continetur, atque ita hanc doctrinam per illam non evertit.

Pag. 58.  
 & 59.

Immoratur in hujus meæ doctrinæ reprehensione Bertius, & in medium affert iudicium sapientum, quo reprehendunt tum Romanos, quòd Corinthum disturbarint, ut ipsorum ruinâ suam augerent rempublicam: item Athenienses, qui sciverunt (id est, decreverunt) ut Æginetis qui classe valebant, pollices præciderentur: nimis enim imminebat Ægina Piræo. Tum subjungit: *Conferantur hæc cum iis quæ Piscator scripsit de Deo: quem ille vult, ut gloriam aliquam consequeretur justitiæ, voluisse maximam mundi partem æternis suppliciis, citra antecedentem ullam peccati rationem addici*. Respondeo: Falsò hoc mihi tribuit Bertius. Nusquam ego hoc scripsi, *Ut gloriam aliquam CONSEQUERETUR justitiæ: sed scripsi, ut PATEFACERET gloriam justitiæ suæ in peccatis puniendis*: Disputat. adversus Schafman. sect. 27. Videatur etiam pagina Apologeticæ 55.

Pergit: *Ergo quod in homine crudelitas est, id in Deo est sanctitas. Sanctè, inquit (Piscator) hæc facit Deus. Innocentes ergo destinare exitio, sanctitas est: destinatos exitio ordinare ad peccatum, sanctitas est. Sic enim ipse, Deus summam habet quidlibet agendi potestatem: & quomodolibet agat, semper sanctè agit: nec peccare unquam potest: quum neminem habeat supra se qui legem ipsi præscribat*. Tum subjungit, *Quasi vitia non ex natura sua, sed ex legis edicto tantum essent æstimanda: & crudelitas, fraus, simulatio, homini inhonesta essent, quia is legi subditus est: Deo honesta, quia legislatorem supra se ipse non habet!*

Re-



Respondeo: Ex verbis illis meis, *Sanctè hæc facit Deus, non sequitur id quod infert Bertius, Ergo quod in homine crudelitas est, id in Deo est sanctitas: sed hoc tantum sequitur, Ergo actiones quædam hominum quæ aliquam cum actionibus divinis similitudinem habent, in illis quidem crudeles sunt, in Deo verò sanctæ. Exempli gratiâ, similes inter se actiones sunt, Maledicere & Ad maledicendum instigare. Attamen Simeï maledicens Davidi, egit crudeliter: Deus verò illum ad maledicendum instigans, egit sanctè & justè. Id quod ipsemet David agnovit: quum diceret, *Sinite illum maledicere, quia edixit ei Jehova, 2. Sam. 16. v. 11.* Eâdem ratione accidit ut actio aliqua si ab homine ex ipsius arbitrio & lubitu fiat, sit spurca: verbi gratiâ, procuratio alieni adulterii: si verò fiat à Deo, sit sancta: exempli gratiâ, procuratio adulterii Absalomï cum uxoribus patris, 2. Sam. 12. v. 11. & 12. Quòd autem dicit Bertius, vitia non ex legis tantum edicto esse æstimanda, sed ex sua natura: non animadvertit, se idem sibi ipsi opponere ut diversum. Quæ n. est vitiorum natura alia, quàm discrepantia affectus animi à lege naturæ cordibus hominum inscripta? Eatenus ergo affectus aliquis animi vitiosus est, quatenus à legis illius divinæ edicto discrepat.*

Pergit: *Videamus etiam alia. In contractibus negat Antipater licere dissimulare prædiorum, villarum, adificiorum vitia, ullius sui compendii causâ: sed debere qui vendit, bonâ fide illa vitia indicare emtori.* Tum recitatis verbis Ciceronis, subjungit: *Quid autem Piscator de Deo? Deus interdum verbo significat, idq; absq; mendacio & hypocrisi, pro summa sua agendi libertate, se velle quod revera nō vult, aut nolle quod revera vult. Et alibi, Voluntas Dei interdum pugnat cū præcepto. Quando verò & in quibus? Quæ scil. reprobis, quales ipse commentus est, dicitur, Resipiscite, Credite, Sperate, Diligite Deum & proximum. Et rursum, Non oportet præcepta Dei cum ipsius voluntate confundere. Nā si Deus vult, propriè loquendo, à nobis servari præcepta sua, fieri non potest quin ea servemus.* Resp. Primùm, Non sequitur, Homines in contractibus hoc vel illo modo agere debent: Ergo etiam Deus in suis decretis eorumq; executione eodem modo agere debet. Homines n. obligati sunt ad legem Dei, sive literis scriptam, sive cordibus inscriptam: Deus a. ad nullam legem obligatus est, sed liberrimam habet de suis creaturis agendi potestatem. Deinde falsò mihi tribuit Bertius, Deum dissimulare vel simulare aliquid COMPENDII sui causâ. Tertiò silètio præterit, & intactas atq; irrefutatas relinquit allatas à me probationes. Nèpe quod Deus præceperit Abrahamo ut jugularet filium: quod tamè fieri volebat: quippe quum voluerit illud impedire, atq; etiã impediverit, Ge. 22. Itè quod Paulo & Barnaba prædicante evangelium apud gentes in urbe Antiochia, crediderint

Pag. 59.



QUOTQUOT ordinati erant ad vitam eternam, Act. 13. v. 48. Ubi certè voluntati Dei tribuitur iste eventus, quòd alii ex illis (nempe electi) crediderunt: alii verò (nempe reprobi) non crediderunt. Nec verò ego reprobos tales commentus sum: sed sacra scriptura quoties electos nominat: nominat autem sæpissimè: toties reprobos tales simul innuit: quum electio absque reprobatione ne cogitari quidem possit. Adhæc quis negare ausit, necessariò fieri quæcunque Deus propriè loquendo fieri vult? Nisi enim hoc concedatur, negatur Dei omnipotentia.

Pag. 59.

Pergit: *ἴαμι ἐν ταύτῃ τῶν πραγμάτων ὡς ἀπορίας ἔχει ὅτι ὡς ἀπορίας ἔχει ὡς ἀπορίας ἔχει* quàm turpe est malum bono obtinere & fraudi sanctitatem? Hoc tamen facit Piscator. Vult ipsi primò Deus gloriam. Non fit quidem illud mihi verisimile: sed tamen posset hoc inter disputandum concedi. Illud verò quod sequitur, quis ipsi dabit? Vult Deus gloriam suam per exitium maximæ mortalium turbæ, sine antecedente ullo ipsorum merito? Nemo. Est enim intolerabile. Rursum, vult Deus hominum exitium. Falsum hoc quidem & turpe: sed quod sequitur, multò etiam turpius, Vult illud Deus per peccatum: quod ut fiat, statuit ipse procurare, dando scilicet legem, quam ne servari quidem cupiat. Videt enim futurum, si servetur, ut excidat suo fine. Quid potest concipi fraudulentius? quid sanctâ illa & venerandâ maiestate indignius? Respondeo: Et quando tandem finis erit istius ἀειλογίας & ταυτολογίας? Quoties enim nunc hæc ipsa in medium protulit Bertius? Ego verò nego, me hoc facere quod hîc mihi rursus ille impingit. Nego inquam me docere Deum in suis decretis malum obtinere bono, & fraudi sanctitatem. Nihil enim est mali, nihil fraudis vel in ipsis decretis divinis, vel in eorundem executione. At nõne malum est, decernere exitium maximæ mortalium turbæ sine antecedente ullo ipsorum merito? Nego esse malum in Deo: quia potestatem habet agendi de suis creaturis quicquid vult. Itaque decrevit Esavum perdere, antequam ille quicquam mali fecisset, Rom. 9. v. 11. 13. Item, quem vult, indurat, ibid. v. 18. Item quosdam homines condidit ad dedecus, vasa iræ, deniq; ad interitum, ibid. vers. 21. & 22. Quid autem illi fuerunt meriti, quum nondum essent? Rursum nõne malum est statuere procurare peccatum? Nego malum hoc esse in Deo: quia omnia eius decreta sancta sunt, quum ipse per naturam sit sanctus. Denique annon fraudulentum est dare alteri legem, quam nolis ab ipso servari: sed contrà velis ut eam violet, ut tu habeas occasionem illum puniendi? Sanè si quis homo ita agat, fraudulenter agit: at quum Deus ita agit, fraudulenter non agit: quia fraus nulla in Deum cadit, neque homini obligatus est ut animum ejus flectat ad legem ab ipso datam servandam, atque ita pœnam evitandam: neque etiam illud homini à se condito promisit. Fraudulenter au-

ter au-



ter autem agere is demum dicitur, qui quum alteri ad benefaciendum sit obligatus: (est autem sic obligatus homo quilibet cuilibet) & spem ei fecerit, quòd benefacere ei velit, nihilominus per speciem beneficii ei malefacit. Horum autem nihil in Deum cadit. Quòd autem dicit Bertius, non videri sibi verisimile, Deum primò velle gloriam, nempe gloriam suam: scire velim, quid ergo velit priùs? An hominum salutem? At hanc ad gloriam suam destinavit, teste apostolo Rom. 9. vers. 23. ubi ait, *Deum voluisse notas facere divitias gloriae suae erga vasa misericordiae, quae preparavit ad gloriam.* Item Eph. 1. v. 5. & 6. dicit, *Prædestinavit nos eis usque in aeternum ad laudem gloriosae suae gratiae.* Unde percipitur, salutem nostram destinatam à Deo esse ad ipsius gloriam tanquam ad finem. Finem autem unusquisque sapiens magis, ac proinde etiam priùs, vult quàm media ad finem destinata.

Pergit: *Negant sapientes, & meritò, licere viro bono simulare quicquam, aut mentiri, emolumentum sui causâ: præripere verò, fallere, aut alium sub specie honesti circumvenire, multo minùs &c.* Tum verbis illorum sapientum recitatis, subjungit: *Quod si in gentilibus tanta fuit veri & recti vis, ut non putarent vel commodi alicujus causâ peccandum esse, vel rebus sanctis fraudes ac mendacia permiscenda: a usque, insuper fuerint ipsi, non tantum jus istud naturæ defendere, sed etiam viros suae civitatis principes reprehendere, qui legem illam violassent: quid de D. Johanne Piscatore vobis, reverendi fratres, statuendum erit, qui non tantum ista incautè permiscuit, sed etiam ea quae in homine culpari, ac legibus etiam vindicari solent, audet Deo opt. max. adscribere: & quod in nobis fraus est, simulatio, injuria, tyrannis, mendacium, id in Deo sanctitatem vocare?* Respondeo. Iterum dico, Et quando tandem finis erit istius ταυτολογίας & falsæ criminationis? Falsum est, me decretis divinis fraudes ac mendacia permiscere, eaque Deo opt. max. adscribere: falsum etiam, me docere, quòd Deus in suis circa hominum salutem & exitium decretis, spectarit aut quæsierit aliquod suum emolumentum aut commodum. Quare exemplum M. Crassi & Q. Hortensii, qui falsum testamentum propter insigne emolumentum suum probarunt, hîc valde dissimile est.

Pergit: *Ex iis verò quae hætenus disputata à nobis sunt, satis liquere arbitror, neque Deum gloriae ullâ ductum cupiditate consilia illa inivisse quae vult Piscator: neque ipsius sanctitati esse conveniens, omnium hominum in uno Adamo peccatum procurare, ut posset quam plurimos aliquo justitiae schemate precipitare in destinatum ipsis exitium.* Ego verò vicissim ex iis quae ad disputata Bertii à me hætenus responsa sunt, tum vobis, reverendi fratres, tum omnib. æquis & piis lectoribus liquere confido: ea quae de divinis circa hominum sa-



lutem & exitium decretis à me scripta sunt, in verbo Dei esse fundata; nec esse per disputationem Bertii, fundatam in similitudine actionum humanarum, eversa.

Pag. 61.

Pergit: Sed solent nonnulli prætexere huic opinioni divina gloria studium. Par enim esse ajunt, ut quum is omnium rerum autor sit, ad eum quoque redeat omnium rerum gloria. Et est quidem laudabilis hic ipsorum zelus. Quis enim eum culpet qui in eo est ut gloriam suam Deo adferat? Sed est quod in hac tamen re desiderari possit. Nam si omnia ad Deum auctorem promiscuè referenda sunt, & ab illius efficaci ac dispensatrice voluntate omnia nostra tanquam à sola causa moventur, ita ut voluntas nostra, ut vult Piscator, non agat, sed patiatur: jam necesse est, Deum illum sanctum & bonum ipsius quoque mali autorem facere: quæ quidem res minimè potest Deo esse gloriosa. Respondeo: At ubi ego istud ita nudè scripsi, voluntatem nostram non agere, sed pati? Cur Bertius non annotat locum, ut aliàs solet? Sanè in conversione nostri ad Deum voluntas nostra non agit ex sese: sed patitur, id est, inflectitur à Deo, ut quod per se & naturam suam non potest, nempe velle bonum in rebus spiritualibus: idem tamen velit, quum à Deo ad hoc trahitur, id est, efficaciter movetur & inflectitur. Deinde quum dicitur, Deum omnium rerum authorem esse, id intelligendum est tum de ipsis substantiis, tum de actionibus, quatenus actiones sunt: non autè quatenus vel illæ vel istæ sunt vitiosæ. Deus enim creaturas rationales omnes condidit rectas, & minimè vitiosas: & author est omnium actionum & motuum in illis: In ipso enim (id est, virtute & gubernatione ipsius) vivimus, & movemur, & sumus, Act. 17. v. 28. At vitiositatem seu malitiam, nullius creaturæ rationalis voluntati vel actioni infudit nec infundit: sed permittit ut & angeli aliqui ultrò ab obedientia erga ipsum deficerent, & primi nostri parentes à diabolo seducti, similiter ab ipso deficerent, & ita utrique malitiam sibi accerferent.

Pag. 61.

Pergit: Deinde non est putandum, gloriam Dei in eo sitam esse ut gratiam ipsius & beneficia quisquam occultet, negetque se habere aut ab illo accepisse id quod accepit. Divina enim gratia est, quod & nos bonum velle possumus: neque est ad gloriam Dei hac illius gratia abneganda. Respondeo: Quis verò dicit, gloriam Dei in eo sitam esse, ut gratiam ipsius & beneficia quisquam occultet, negetque se habere aut ab illo accepisse id quod accepit? At excipiet, me negare quod & nos bonum velle possumus: quod tamen est divina gratia. Sed non attendit de quo bono sit quæstio: itemque de quâ potentiâ seu facultate volendi. Sanè à natura possumus velle bonum conditionis, quod vocant: id est, ut nobis bene sit. Sed à natura non possumus velle bonum

bonum



bonum spirituale, quod nobis necessarium est ad vitam æternam consequendam. Est enim voluntas nostra ita depravata, ut lege Dei subjici non possit, Rom. cap. 8. vers. septimo. Item ut non possit velle in Christum credere, nisi à Deo patre trahatur, Johan. sexto vers. quadragesimo quarto.

Verùm gratiam volendi bonum homini à Deo datam esse, Bertius *Ibidem.* sic probare instituit. *Nam sicut Deus, inquit, non est unicum ens: ita neq; est unicum agens. Commendat divinam bonitatem & sapientiam copia ista entium: commendat quoq; copia ista agentium.* Egregia verò probatio! Præter Deum sunt plura entia atque agentia: ergo nos bonum velle possumus; nempe bonum illud spirituale, quod nobis necessarium est ad consequendam vitam æternam. Quæ est hîc ratio consequentiæ? Possumus (naturæ scilicet viribus) agere: ergo possumus velle bonum illud spirituale. A genere ad speciem affirmando consequentia non valet.

Pergit: *Sed sicut entia omnia ab illo ente, sic agentia omnia ab illo agente Ibidem.* sunt; & ad illud tum naturâ suâ referuntur, tum referri debent propriâ hominum destinatione. Respondeo: Primum ambigüè dicitur, omnia entia naturâ suâ ad primum illud ens referuntur. Nam potest intelligi, vel quòd primum illud agens (id est, Deus) reliqua agentia talia condiderit, ut possit illa referre, atque etiam referat ad seipsum, id est, ad gloriam suam. Et hoc verum est. Vel quòd ipsa agentia creata seipsa referant ad primum illud agens, id est, ad gloriam illius. Et hoc partim verum est, partim falsum. Verum est de agentibus rationalibus adhuc constitutis in statu integritatis: falsum autem est tum de his ipsis post lapsum & quorundam angelorum & primorum parentum, atque adeò omnium hominum naturaliter ex ipsis ortorum: tum de rebus brutis omnibus. Hæ enim seipsæ non referunt aut dirigunt ad Deum, seu gloriam illius. Quòd autem dicit, agentia omnia creata ad primum illud agens propriâ hominum destinatione referri DEBERE: id de agentibus rationalibus reliquis, nempe angelis, tum bonis, tum malis, falsum est: quia illi non sunt in hominum potestate: quin de agentibus quoque naturalibus, quæ in illorum potestate non sunt, falsum est: puta de corporibus naturalibus, tam simplicibus, quàm mixtis. Verum autem est tum de ipsismet, jam usu rationis præditis: tum de illis agentibus quæ sunt in ipsorum potestate ut ea dirigant. Sed hoc DEBERE nihil facit ad concludendum propositum. Non enim sequitur, Homines DEBENT omnia dirigere ad primum



*Ibidem.*

illud agens, id est, ad gloriam Dei: ergo id facere POSSUNT naturâ suâ.

Pergit: Quod ergo Deus hominem fecit, quod lapsum superesse voluit in spem vitæ melioris, quod imaginem suam non planè in ipso extingui passus est, quod gratiâ suâ eum prævenit: quod comitatus est: conservator, adjutor, opitulatur: quod eum vocavit, quod legem dedit, quod bonis suis instruxit: laus Dei est in Christo: Hominis laus omnis in obsequio sita est & studio ad Deum cuncta referendi. Equum igitur est, laudem Deo tribuere non omnem simpliciter, sed primam: quia & ipse primò bonus, non solus. Quanquam & solus ille bonus eminenter, sine mixtura mali, & causa omnis posterioris in nobis boni: non autem solus subjectivè: quia non ipse est quicquid est extra se. Debebat igitur Piscator ita ista partiri, ut quum Deo gloriam suam tribuisset, non negaret officium humanum, neq; naturam communem everteret. Debebat, inquam, Deo dare quæ Dei sunt, & homini quæ sunt hominis relinquere: vel potius non negare quæ Deus extra se hominis propria esse voluit. Nunc ille quum introductâ necessitate rerum, ab stulit ab homine agendi libertatem, eumq; citra prælectionem suam ad fines impulit à Deo præfinitos: nonne hominem homini ademit, & vel truncum illum fecit, vel Deum? Truncum, dum alienâ ipsum vi impelli docuit: Deum, quum quæ illius sunt, Deo adscripsit? Nonne & malum ipsum retulit ad autorem Deum? & ut id quod fecit, excusaret, coactus est negare, hoc ipsum quod naturâ suâ malum est, malum in Deo esse? Respondeo: Rursus vitiosè ratiocinatur Bertius à DEBERE ad POSSE: ab hominis officio ad ejusdem naturam. Hominis laus omnis, inquit, in obsequio sita est, & studio ad Deum cuncta referendi: Ergo id facere potest. Item, Piscator non debebat negare officium humanum. Quasi verò ego istud negem? Imò facilè concedo, officium hominis esse ut facere, ita etiam VELLE bonum illud spirituale. At num hoc concessio, sequetur illum jam post lapsum naturâ suâ id posse? Cæterùm de bonis homini post lapsum à Deo relictis multa hinc congerit Bertius: quæ universaliter intellecta (ut ipsa loquendi ratio intelligi postulat) pleraque falsa sunt. Verum est, quod Deus hominem fecerit: sed istud nihil facit ad quæstionem propositam de statu hominis post lapsum. Falsum est universaliter intellectum, quod Deus hominem lapsum superesse voluerit in spem vitæ melioris. nam etsi istud verum est de primis nostris parentibus, tamè non est verum de omnibus illorum posteris. Quam enim spem vitæ melioris præbuit Deus gentibus, quas olim sivit incedere suis ipsarum viis? Act. 14. v. 16. Et ubi manet admonitio illa Pauli de Ephesiis ad quos scribebat, quod antequam ad fidem Christianam conversi essent, non habuerint spem? Eph. 2. v. 12. Verum est illud, quod Deus imaginem suam in homine non planè extingui passus est. Sed hinc non sequitur, hominem post lapsum naturâ suâ

suâ



suâ posse velle bonum spirituale. Falsum est, universaliter intellectum, quòd Deus hominem post lapsum gratiâ suâ prævenit. Sermo enim hîc est de gratia cujus vi homo potest velle bonum spirituale: Hâc autem gratiâ Deus neque prævenit, neque prævenit, homines omnes: sed solos electos: quippe quorum solorum est fides: unde & nominatur *fides electorum Dei*, Tit. 1. vers. 1. Similiter falsum est, quod proximè sequitur: quòd Deus hominem (scil. omnem: nam sic intelligitur) *comitatus sit* (nempe gratiâ illâ suâ salvificâ) *conservator, adjutor, opitulator*. Nam hoc verum est de solis conversis atque credentibus: in quibus Deus *efficit & ut velint & ut efficiant*, Phil. 2. v. 13. Præterea falsum & illud est, universaliter intellectum, quòd *Deus hominem vocaverit*. Olim enim gentes non vocavit, sed *sivit eas incedere viis suis*: ut paulò antè ostendi. Falsum etiam est, quòd *legem dederit omnibus*. Dedit enim illam soli populo Israëlitico. Postremò quòd Deus hominem bonis suis instruxerit post lapsum: si absque exceptione de omni bonorum genere, atque adeò de spiritualibus quoque bonis, intelligatur: tum universaliter intellectum falsum est: quia *non omnibus datum est nosse mysteria regni caelorum*: teste ipso Christo Matth. 13. v. 11. & cap. 11. v. 25.

Porro falsò mihi tribuit Bertius, quòd *homini non relinquam quæ sunt hominis*: item, quòd *negem quæ Deus extra se hominis propria esse voluit*. Relinquo enim illi potentiam volendi bonum conditionis, item libertatem arbitrii ad faciendum bona moralia externa, itemque mala tum moralia tum spiritualia: adimo autem ei libertatem arbitrii ad faciendum bona spiritualia. Etsi autem docui, *respectu providentiæ Dei omnia fieri necessariò*, id est, ita ut simpliciter non possint fieri aliter: per hoc tamen non abstuli ab homine agendi libertatem. Etsi enim Deus voluntatem hominis flectit ad agendum id quod ab ipso decretum est: non tamẽ illam ad quicquam agendum cogit. Judas liberè & volens prodidit Christum, partim avaritiâ, partim vindictæ cupiditate ductus: & tamen id fecit *definito consilio & prædecreto* (προϋπόθεσι) *Dei*, Act. 2. v. 23. ac proinde Deus *Satana permisit ut in eum intraret*, Luc. 22. v. 3. Johan. 13. v. 26. Itaque Bertius ex mea de actionum humanarum necessitate sententia malè infert, *me ex homine vel truncum facere, vel Deum*. Adhæc falsum est hoc quoque crimen, quòd *malum retulerim ad authorem Deum*. Etsi enim docui, Deum peccatum & permisisse & procurasse: hinc tamen non sequitur, eum id commisisse aut effecisse. Procuravit Deus adulterium Absalomi cum uxoribus Davidis: at ipse illud non commisit. Procuravit ut malediceret Simeï



Davidi: sed ipse illi non maledixit. Procuravit ut mentirentur Prophetæ regis Ahabi: sed ipse mentitus non fuit.

Pag. 62.

Pergit: Non est quidem principium & causa prima boni ponenda in homine, sed neq; causa mali ponenda est in Deo. Quocirca postquam Deum posuimus causam primam boni, par est, hominem quoq; agnoscere causam proximè agentem. Et peccat quidem turpiter, qui in se causam omnem boni transcribens, nihil gratiæ debere cupit: sed & ille peccat qui magnum illud & principale quod à Deo natus est bonum, omnis posterioris boni in se principium, negat se habere, & vim majorem exspectat quâ ad virtutem trahatur. Illud Pelagii est: hoc Piscatoris, pretextu gloriæ Dei primam gratiam & officii humani partes abnegantis. Respondeo: Quæstio hîc agitur, an possimus (nempe à naturâ) velle bonum: scilicet spirituale. Hoc enim suprâ affirmavit Bertius, & in hoc ipso probando adhuc insistit. Quippe potentiam illam volendi bonum, vocat hîc principium OMNIS posterioris boni in homine. Ergo etiam boni illius spiritualis. Negat item, exspectandam vim majorem qua ad virtutem trahamur. Quid ergo sibi volunt ista effata scripturæ? Sine me, aiebat Christus discipulis, nihil potestis facere, Johan. 15. vers. 5. Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deo est, 2. Corinth. 3. vers. 5. Item, Deus est is qui efficit in vobis & ut velitis & ut efficiatis, pro beneplacito suo, Philip. 2. vers. 13. Item rursus aiebat Christus, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, Johan. 6. v. 44. Rursus autem confundit diversa Bertius, nempe gratiam Dei (quam nominat primam, intelligens potentiam illam volendi bonum spirituale) & officium hominis. Reprehendens enim me quod gratiam illam negem, dicit, me primam gratiam & officii humani partes abnegare. At ego nusquam negavi, hominis officium esse, relipiscere & credere evangelio. Debet ille hoc facere: sed per naturæ corruptionem non potest. Etenim homo animalis non capit ea quæ sunt spiritus Dei. Sunt enim ei stultitia: NEC POTEST ea cognoscere, 1. Cor. 2. v. 14.

De here-  
sib. cap. 88.

Porro si non potest illa cognoscere: sequitur quod nec possit velle. Voluntas enim judicium mentis sequitur: & ignoti (ut vulgo dicitur) nulla cupido. Etsi autem hoc loco Bertius meritò rejicit dogma Pelagii, quatenus ille omnem boni causam in hominem transcribens, nihil cupivit debere gratiæ Dei: quippe inimicus gratiæ illi Dei qua (ut Augustinus narrat) predestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, & qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atq; in regnum ipsius transferamur: tamen interim non animadvertit: sententiam quam hîc defendit de potentia naturali hominis post lapsum ad volendum

dum



dum bonum spirituale, ipsissimum Pelagianorum dogma esse. Hanc enim Bertius *primam gratiam* nominat. Hanc autem ipsam Pelagiani tradiderunt, teste Augustino capite citato, his verbis: *Illam verò gratiam Dei sine qua nihil possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis precedentibus meritis ab illo accepit nostra natura.* Eat nunc Bertius, & neget se cum Pelagianis sentire.

Pergit: *Quid est inhumanius, quàm Deo mandanti, Age poenitentiam, re-* Pag. 62.  
*clamare, Non possum: Cur à me exigis quod non dedisti? Tu si me salvum esse vis, fac ut faciam? Dicenti, Agnosce peccatum tuum, respondere, Nequeo? Desiste à malo: Nolo. Tua, ó Deus, partes sunt efficiendi illa in me: mea non nisi patiendi. Quum voles me non furari, non scortari, non calumniari, non inebriari: tu hoc facies efficaciter. Quid si verò dicat Deus, Crede? Respondebitne Piscator, Non est hoc meum, ó Deus: tuum est fidem mihi instillare invito, atque infundere, si sum electus. Si non sum, nihilo secius peribo. Quanto satius est hominem se esse confiteri, & agnoscere aliqua adhuc in se divinæ imaginis lineamenta? Gloria enim Dei non in ingrata beneficiorum collatorum abnegatione: sed in memori agnitione, celebratione & acceptorum usu ac decorâ fruitione consistit. Respondeo. Quæ verò est ista libido doctrinam sanam & ex verbo Dei depromtam, de naturæ humanæ corruptione, tantâ verborum copiâ calumniandi & in alienum sensum detorquendi? Ubi enim ego quæ mihi hoc loco crimini tribuit Bertius, scripsi aut docui? Deo scilicet mandanti esse reclamandum, cum eo expostulandum de viribus ad obediendum non suppeditatis. Item, Deum fidem homini instillare INVITO. Item, Hominem, si non sit electus, nihilo secius (etiamsi scilicet credat) periturum. Sed quænam est vis istius enthymematis Bertiani: Inhumanum est, Deo ita reclamare & cum eo expostulare de non suppeditata credendi & scelera evitandi potentiâ seu facultate: Ergo homo à naturâ præditus est tali facultate. Imò etsi, teste scriptura, facultate illâ præditus non est, neque à natura, neque ex gratiâ Dei: tamen non est ei fas Deo reclamare & de sua impotentia murmurando conqueri, aut cum eo expostulare de facultate credendi & bene agendi non suppeditatâ: quia Deus in creatione potentiam obediendi & bene agendi ei dederat: sed ipse liberâ ab illo defectione, atque ita sua culpâ, illâ amisit. Nec Deus ei obligatus est ut facultatē illam ei restituat. Deinde quale est & istud enthymema? Hominem decet agnoscere aliqua adhuc in se divinæ imaginis lineamenta: Ergo homo à natura potest velle bonū spirituale. A particulari ad certam speciem non valet consequētia. In homine*



adhuc superest aliqua potentia ad bonum: ergo hæc potentia, quæ dicitur potentia ad volendum bonum spirituale. Item non valet cōsequētia à genere ad speciem. In homine remansit potentia aliqua ad volendum bonum: ergo remansit in eo potentia ad volendum bonum spirituale. Calumniosum & illud est, quod dicit, *Gloriam Dei non consistere in ingrata beneficiorum collatorum abnegatione &c.* Quasi scilicet hoc ego scripserim, aut quasi ex illis, quæ scripsi, sequatur.

Pag. 62.

Pergit: *Gloria Dei, inquit Salomon, est celare verbum. Quod verbum? Verbum mendacii. Est autem mendacium negare te accepisse quod acceperis, talentumq; sibi concreditum desodere, ut ignavus postea pretextu gloriae Dei vim novam expectes, qua id incipias posse, quod jam nunc si velis, potes.* Hunc sermonem celare, gloria Dei est. Respondeo. Primum, non est hic illius dicti Salomonis sensus quem affert Bertius: deinde si maximè esset, tamen inde ineptè inferret id quod probare instituit. Sensus illius dicti apparebit, si totus ille versus in conspectum proponatur. Sic autem legitur Prov. 25. v. 2. secundum versionem veterem, *Gloria Dei est celare verbum, & gloria regum investigare sermonem.* Secundum versionem verò Tremellii & Junii, *Honor Dei est abscondere rem: honor autem regum, perinvestigare rem.* Ubi observandum, vocem Hebraicam דָּבָר dabár, id est, verbum, per metonymiam Hebræis usitatam significare rem seu negotium. Hinc jam emergit genuinus illius dicti sensus: nempe, quasi dicatur: Deo quidem honorificum est & ad gloriam ejus facit, quòd abscondit justitiam gubernationis suæ, ita ut homines illam non assequantur iudicio naturali suæ rationis sive mentis, ac proinde gubernationem ejus quâ imprimis gubernat res humanas admirari cogantur. Cujus rei illustre exemplum nobis proponitur in apostolo Paulo: qui quum rationem justitiæ divinæ in rejectione maximæ partis Judæorum ratione suâ non assequeretur, erupit in exclamationem illam admirationis plenissimam, *O profundas divitias tum sapientie tum cognitionis Dei! Quàm inscrutabilia sunt iudicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio?* Rom. 11. v. 33. & 34. Exemplum hujus rei habemus etiam in Ijobo: quem Deus, quamvis ipsiusmet testimonio vir justus esset at timens Dei, gravissimè tamen afflixit, idque justè. Sed hanc justitiam non potuerunt assequi tres illi amici ejus qui eum invisebant, viri alioqui sapientes, ut è sermonibus ipsorum apparet. Quum enim Ijobum tam graviter afflictum viderent, arguerunt eum hypocriseos & occultæ impietatis: quia secus Deus injustè ageret. Ijobus verò innocentiam suam strenuè assertâ, Deum justè agere demonstrat, etiam tunc cum pios affligit:

fligit:



fligit: quippe quum habeat liberrimam de hominibus quod velit agendi potestatem. Id quod significat his verbis, cap. 9. v. 12. *Quum abripit* (nempe Deus) *quis eum avertat? quis dicat ei, Quid facis?* Unde & amicos illos suos reprehendit, dicens, c. 13. v. 7. *An pro Deo loqui debetis iniquitatem?* Atque hic genuinus dicti illius Salomonici sensus est; qui ipse confirmatur ex antithesi sententiæ alterius, *Honor regum est peruestigare rem*: id est, Regibus honorificum est, & ad gloriam eorum facit, si negotia sibi proposita diligenter peruestigent, ut intelligant quid ipsis in regni gubernatione agendum, quid cavendum sit. Jam genuino sensu dicti propositi demonstrato, expositio Bertii necessariò corrui. Et certè etiam ipsa per se laborat absurditate. Nam quid est hoc dicere, *Gloria Dei est celare mendacium, nempe mendacium hominis?* Sic enim Bertius expositionem suam declarat. Nec potuit aliter: quum blasphemum esse videret, tribuere mendacium Deo. Deinde quid & hoc est dicere, quod ex priore sequitur, *Gloria regum est peruestigare mendacium?* Sed si maximè expositio Bertiana tanquam vera & genuina admitteretur: inde tamen ineptè infert id quod instituit probare, nempe hominem habere naturalem potentiam ad volendum bonum spirituale, puta ad resipiscendum & credendum. Quæ enim quæso consequentia est in isto enthymemate, Deus celat mendacium hominis: ergo homo non debet negare se accepisse quod acceperit, nempe illam de qua dictum est potentiam voluntatis: & per consequens, potentiâ illâ est præditus? Ineptè etiam loquitur Bertius, quum de hominis potentia naturali loquens, appellat eam *talentum ei concreditum quod non sit defodiendum*: respiciens haud dubiè ad parabolam Domini Matth. 25. de talentis quæ quidam paterfamiliâs peregrè profecturus, servis suis dedit ad negotiandum: quorum unus talentum suum in terram defodit. Per talenta enim illa non intelligebat Dominus vires liberi arbitrii singulis hominib. à Deo datas: sed dona spiritualia à Christo data fidelibus, ac imprimis ministris verbi Dei. Quod dicit, *talentum non esse defodiendum ut ignavus postea prætextu gloriae Dei vim novam expectes &c.* id calumniosè dicit, quum ego nihil tale doceam.

Pergit: *At tu tibi ea quæ optas obtrudi malis. Credo.* Et tum respondet Pag. 62. 63. verbis Arnobii, quorum summa est, *Deum nemini inferre necessitatem, ut invitatus atq; coactus promissionibus ipsius credat.* Tum subjicit, *Ex quibus apparet, non esse gloriae Dei studio negandam gratiam Dei, gratiam illam primam, gratiam inherentem, gratiam communem, gratiam cujusvis posterioris oblatæ gratiæ prensatricem: neq; enim ad gloriam suam opus habet Deus mendacio nostro.* Respondeo: Ubi verò ego contrarium doceo? Contrarium dico senten-

O



tia illi Arnobii. Est tamen quod in illis jure desiderem, ubi sic loquitur, *Quid est enim tam injustum, quam repugnantibus quam invitis torquere in contrarium voluntates?* Christus enim fidei effectiorem nominat *tractionem*, Johan. 6. vers. 44. At qui trahitur, invitus & repugnans atque renitens in alium locum movetur. Interim tamen Deus illum quem fide donare vult, ita trahit ut ex nolente faciat volentem: dum per Spiritum sanctum eum intus docet, ut ibidem declarat Christus versu 45. Sed quicquid senserit dixeritve Arnobius, id veritati nihil præjudicat. Itaque infirma est illatio Bertii, qua sententiam suam de viribus liberi arbitrii pro vera obtrudit, quia eandem Arnobius tradiderit. In qua quidem illatione Bertius apertè & plenis buccis Pelagianissat, tam accuratè describendo gratiam illam primam, quam homo à Deo datam adhuc habeat. Augustinus (ut supra ostendi) de Pelagianis narrat, eos dicere *gratiam illam Dei sine qua nihil possemus facere, non nisi in libero arbitrio esse, quod nullis præcedentibus suis meritis ab illo accepit nostra natura.* Quid aliud hoc loco dicit Bertius, quum dicit, *liberum arbitrium seu potentiam naturalem ad volendum bonum spirituale* (de hac enim loquitur) esse gratiam illam primam, gratiam inhærentem, gratiam communem, gratiam cujusvis posterioris oblatae gratiæ prensatricem?

Pag. 63.

Pergit: *Porro sicut introducta necessitate tollitur actionum libertas, & vis consultandi atq; eligendi: ita sublatâ libertate adimitur Deo actionum liberarum præcognitio. Quod enim non est, sciri non potest. Sublatâ verò præcognitione, nulla potest esse secundum præscientiam electio aut reprobatio. Ita scilicet posito uno absurdo, necesse fuit plura alia absurda consequi. Et tamen placuit id ipsum quoq; Piscatori: qui alios à Deo electos, alios reprobatos dixit, non ex consideratione boni & mali: sed ex mero jure dominii, tantum quia ita libuit. Respondeo: Necessitate illa quâ docui omnia fieri necessariò respectu decreti divini, non tollitur actionum libertas, aut vis consultandi atque eligendi. Possunt enim illa simul consistere, atque etiam revera simul consistunt. Consultat homo & eligit quod ei bonum videtur, idemque agit liberè, sciens ac volens, nemine impediente: & tamen nihil eligit, nihil agit, nisi id quod à Deo fuit decretum ut eligeret & ageret: ac proinde id ipsum quod liberè eligit & agit, necessariò quoque eligit & agit, propter immutabile decretum Dei. Judæi Christum ad supplicium rapuerunt liberè ac volentes, minimeque coacti, sed voluntate plena: & tamen id fecerunt necessariò, ita ut non potuerint non facere, teste ipso Christo, dicente, *Oportet* (id est, necesse est) *ita fieri*, Matth. 26. v. 54. Atque ita subru-*

tum



tum est fundamentum soritis Bertiani: unde ipsummet corruere necesse est. Sorites hic est,

*Introducã necessitate tollitur actionum libertas.*

*Sublatã libertate, adimitur Deo actionum liberarum præcognitio.*

*Sublatã præcognitione, nulla potest esse secundum præscientiam electio aut reprobatio.*

*At ultimum hoc consequens est absurdum.*

*Ergo & primum antecedens.*

Ego verò ostendi, falsam esse primam istius soritis propositionem. Deinde falsa etiam est assumptio, quòd scilicet absurdum sit, nullam esse secundum præscientiam (nempe fidei & incredulitatis, ut paulò post declarabit Bertius) electionem aut reprobationem. Nam si absurdum hoc esset, non traderetur in sacra scriptura. Traditur autem: nempe Rom. 9. vers. 11. ubi ita legitur, *Nondum enim natis* (scilicet gemellis Rebeccæ, Esau & Jacob) *quum nihil fecissent boni vel mali: ut propositum Dei quod est secundum electionem, maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei. Major serviet minori: sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau verò odio habui.* Certè propositum Dei ordine naturæ prius est præscientiâ ejus. Nihil enim præscire potuit Deus quod sibi non proposuerit vel ipsemet facere vel ut ab aliis fieret permittere. Ex proposito autem (ut discretè affirmat apostolus) Deus Jacobum elegit, Esavum verò reprobavit. Non igitur propter opera eorum prævisa: illius quidem bona, istius verò mala. Quod autem de prævisione operum verum est, idem verè quoque dicitur de prævisione fidei & incredulitatis. Idem probatur ex verbis ejusdem apostoli Ephes. 1. vers. 1. *Prædestinavit nos quos adoptaret in filios per Jesum Christum in se, secundum beneplacitum voluntatis sue.* Non igitur propter prævisam fidem. Calumniosè autem Bertius pro vocabulo apostolico *Beneplaciti*, quo ego usus sum, substituit vocem, *LIBUIT*: ut scilicet tyrannicum esse innuat, si Deus ex beneplacito alios ad salutem, alios ad exitium prædestinavit.

Pergit: *Atqui sententia ista & sacris literis, & rationi meliori, & veteri ecclesie consensui planè adversa est.* At ego modò ostendi, sententiam hanc in sacris literis fundatam esse: non igitur illis planè adversa est. Unde jam & alterum sequitur, non esse adversam *rationi meliori*. Melior enim ratio utique est ratio illuminata salvificâ cognitione Dei. Talis autem ratio firmâ fide amplectitur & pro vero recipit,



quicquid in sacris literis traditur. De consensu autem veteris ecclesiæ, id est patrum quos vocamus, sive doctorum ecclesiasticorum, non est quod laboremus. Illorum enim doctrina vim probandi articulum aliquæ fidei non habet. Et illi inter se ipsi sæpe dissentiunt: imò unus & idē à seipso quandoq; dissentit: ita ut ex illis dicta tam pro prædestinatione quàm contra illam proferri possint: ac imprimis ex Augustino, ex cujus libris unam atque alteram sententiam quibus prædestinationem à præscientiâ pendere negat, recitavit Calvinus Instit. l. 3. c. 22. Et illis subjungit: *Si ex Augustino integrum volumen contexere libeat, lectoribus ostendere promptum esset, mihi non nisi ejus verbis opus esse.*

*ibid.*

Sed videamus nunc, quomodo quod proposuit de sacris literis, probet Bertius. *Quoties enim dicit scriptura, inquit, electos nos esse aut prædestinatos κτ' ἀεγγνωσιν? Quenam autem Dei cogitari potest in prædestinatione præscientia, nisi boni aut mali?* Respondeo: Quum Bertius innuat, sententiam illam quam defendit de prædestinatione κτ' ἀεγγνωσιν, multoties à scriptura pronuntiari: debuit dicta illa recitare, aut saltem loca ubi legantur, in margine annotare. At neutrum horum fecit. Ego igitur laborem hunc sumam pro illo: qui tamen pro illo non est facturus. Quantum autem meminisse possum, duo sunt omnino loca in quibus id quod proposuit Bertius, dicitur: unus habetur Rom. 8. v. 29. *Quos ἀεγγνω, eos etiam prædestinavit &c.* Alter 1. Pet. I. v. 1. & 2. *Electis κτ' ἀεγγνωσιν δεσ' &c.* Reperitur quidem verbum ἀεγγνωσκειν de illa ipsa ἀεγγνωσει, etiam Rom. II. v. 2. *Non abiecit Deus populum suum ὃν ἀεγγνω:* sed ibi non dicitur, nos esse prædestinatos aut electos κτ' ἀεγγνωσιν. En loca illa scripture: quid nunc amplius? An per illa Bertius obtinebit sententiam à se propositam: nempe nos electos aut prædestinatos esse secundum præscientiam? Sic enim ipse vocabulum ἀεγγνωσις interpretatur. Nequaquam. Quia ἀεγγνωσις in illis locis non significat præscientiam, sed prædecretum: nempe decretum Dei æternum de nostra salute. Quippe Rom. 8. v. 28. & 29. æquipollent istæ voces, ἀεγγνωσις & ἀεγγνωσις: ut patet ex hærentia sententiarum. Per ἀεγγνωσιν autem, id est, propositum, non intelligit Paulus præscientiam. Præscientia enim est mentis, propositum autem voluntatis. Et in hac significatione reperitur eadem vox, quam ad aliud negotium applicata, Act. 2. v. 23. ubi Petrus Judæos alloquens, inter alia de Jesu illo Nazareno dicit, *Hunc definito consilio & ἀεγγνωσει (id est, prædecreto) Dei deditum, quum accepissetis, manibus sceleratorum cruci affixum interemistis.* En ut synonyma usurpantur consilium Dei & ἀεγγνωσις ejus. Nec verò prorsus nova aut insolens videri debet ista verbi



verbi γινώσκειν significatio. Reperiuntur enim ejus exempla apud probatos linguæ Græcæ authores: ut apud Euripidem in Iphigenia: αὐτὸς ὁ καλῶς ἔγνω τὸτ', αὐτὸς μεταγράψω καλῶς. Id est, *Quæ verò non bene statueram tunc, rursus transcribo benè.* Item apud Lucianum in Prometheo: ἀδικὰ ἔγνωκε θεὸς ἐμῶν ὁ Ζεὺς. Id est, *Iniqua de me statuit Jupiter.*

Pergit: *Jam ratio ipsa indicat, non posse in decreto concludi aliquid de singulari sine antecedente generali: non posse, inquam, effici cum ratione hoc, Paulus salvabitur, Judas condemnabitur: nisi positum antè sit, Quisquis crediderit, salvabitur: Quisquis verò non crediderit, condemnabitur. Ab isto verò generali non potest ad illud singulare fieri cum ratione progressus, nisi per insertionem minoris singularis: Paulus credet, Judas non credet: quæ res jam ad præscientiam pertinet. Quod si conclusionis istius est aliquod decretum, sicut revera est; decretum verò istud pendet ex insertione minoris: sequitur, electionem & reprobationem esse secundum præscientiam.* Respondeo: Sanè ratio humana ex lumine naturali judicans, non potest aliter de decretis divinis sentire, comparando scilicet illa tanquam omni ex parte similia cum decretis humanis. At ratio illa *melior* (nempe illuminata salvificâ cognitione Dei) de qua Bertius dicendum sibi proposuit, de decretis divinis ita judicat, ut videt tradi in sacris literis. Sacræ literæ tradunt, decreta Dei de quorundam hominum salute & quorundam exitio, non pendere à præscientia fidei & incredulitatis illorum: sicut supra ostendi. Ergo syllogismus ille Bertianus commentitius est. Quia scriptura Deo tribuit simpliciter *θεοδεσιον*, propositum, servandi quos vult: parique ratione damnandi quos vult. Et si interim neminem servat, quem non prius salute dignum effecerit per fidem & studium bonorum operum: nec etiam quenquam damnat, qui non prius damnationem peccando sit commeritus.

Pergit: *Docet eadem (ratio) debere semper eventum convenire cum decreto, & τὸ ἔρχεσθαι τῆς ἀναλύσεως cum τῷ πρώτῳ τῆς ἡρέσεως. Quum ergo eventus sit, salvari hostales, perdi hos tales: quis non videt, decretum debuisse esse, Quisquis talis erit, salvabitur: Quisquis non erit, cōdemnabitur? Vel sic, Quisquis in præscientia meæ talis vel talis nunc est, salvabitur aut condemnabitur? Tales autem sunt hi, isti: Ergo hi, isti salvabuntur, hi illi condemnabuntur.* Respondeo: Deflectit Bertius à quæstione probanda. Quæstio non est, An Deus decreverit servare credituros, & condemnare non credituros: vel, An decreverit servare quos præscivit credituros, & condemnare quos præscivit non credituros: hoc enim extra controversiam est positum: sed quæstio est, An decretum de servandis credituris, itemq; de condemnandis



non credituris, pendeat à præscientia tum fidei tum incredulitatis. Ergo nihil hîc agit Bertius.

Pag. 63.  
 & 64.

Pergit: *Sed & hoc docet (scil. ratio melior) interesse justitiæ ut qui patitur sciat cur quid patiatur. Quis pater filium castigat tantum quia ita libet? aut quia id fecit ad quod ab ipso pertractus fuit? Quis herus servum in furcam agit, tantum quia ita libet: vel quia id fecit ad quod ipse eum herus gloria suæ causâ impulit? Et credimus nos, Deum, quia ita libuit, morti addixisse maximam mortalium turbam: utque id facere posset, voluisse, decrevisse, ordinasse, imò & procurasse hominum peccata? Quod si in eventu hoc absurdum est, & à ratione alienum: est quoque absurdum idem in decreto Dei & causa rerum omnium prima.* Respondeo: Confundit Bertius decretum & executionem decreti. In executione decreti de condemnandis justitiæ Dei patet: neminem enim condemnat nisi qui condemnationem peccando sit commeritus. At justitiæ Dei qua ex beneplacito suo condemnare decrevit illos quos condemnat, occulta est: nisi quòd intelligere possumus, decretum tale non esse injustum, quia pendet à summa illius potestate. Deinde non ideo injustè agit Deus, quòd vult, decernit, ordinat, procurat hominum peccata: quia homo injustè ageret, si id faceret. Est enim hîc ingens dissimilitudo: quum Deus nulli legi sit subjectus, homo autem ex lege teneatur tales actiones vitare.

Pag. 64.

Ibidem.

Pergit: *Præterdunt jus dominii: quæ res si expendatur accuratiùs, immanem Deo optimo & justissimo adscribit tyrannidem.* Ego verò istud nego: quia scriptura ipsa à jure dominii justitiæ Dei in hoc negotio asserit, Roman. cap. .9 vers. decimoquinto, quæ tamen nullam Deo tyrannidem adscribit. At hoc demonstrare instituit Bertius ex ipsâ doctorum nostræ partis confessione, sic pergens: *Duos ego nobiles in hoc argumento scriptores prodam, Jetzlerum & Pareum: qui ex eo quòd tyrannis solemne hoc est, volunt probare idem in Deo quoque esse laudabile.* Deinde verba utriusque recitat. Sed calumniatur. Non enim illi talem argumentationem instituunt: sed perversitatis arguunt Pontificios, qui quum Romano Pontifici absolutam potestatem tribuant, illam tamen in Deo negent. Hoc adèd manifestè indicant verba Parei, qui dicit: *Si Papa multa millia hominum secum raperet in gehennam, nemo audebit dicere, Quid facis? Si Gratiano creditur. Et sophista absolutum Dei decretum insectari audebunt, ejusque rationes postulare?* Et certè hîc magnum inter Deum, regem illum regum, & inter hominem aliquem regem, discrimen est. nam hic si dicat,  
 Sic vo-



*Sic volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas*: vox ista tyrannica & blasphemica est: quia rex homo non habet summam agendi, quicquid velit, potestatem: sed subjacet legi Dei: ac proinde impiè agit, quum talem potestatem sibi usurpat. At si Deus idem dicat: non est vox tyrannica, sed justa & sancta, propter summam illius potestatem atque majestatem.

Hisce ita disputatis, recitat aliquot dicta patrum ad ostendendum, quòd illi quoq; idem quod ipse de prædestinatione divina & libero hominis arbitrio, docuerint & crediderint. Sed de infirmitate hujus argumenti jam suprà admonui. Itaque non habeo necesse, ut vel illorum dictis, si prava sunt, movear: vel si ambigua, pro mea doctrina illa interpreter.

Post dicta illa patrum recitata sic pergit: *Atq; hætenus quidem Ecclesie veteris sententiam intellexistis de præscientia divina. Fui autem in hac parte prolixior, tum ut de sanctorum patrum consensu constaret, tum ut manifestus fieret error quidam Piscatoris. Ille enim ex præscientia facit prædecretum: quumque scientia alieni facti ad actum duntaxat pertineat intellectus, ille præscientiam in Deo ponit actum voluntatis cuncta arbitrio suo præordinantis atque decernentis.* Tum recitat duo loca scripturæ, ubi ego verbum *προβλεπω* reddidi *Prædecernere*, nempe Rom. 8. vers. 29. & cap. 11. vers. 2. Respondeo. Primum nulla est vis istius enthymematis, *Quidam patres verbum illud προβλεπω in locis Paulinis intellexerunt de præscientia: Ergo errat Piscator qui illud intelligit de decreto. Deinde verbum illud in dictis allegatis intelligendum esse de decreto, suprà demonstravi. Tum falsum est, me ex præscientia facere prædecretum. Distinguo enim inter hæc, ut inter actum mentis & actum voluntatis. Verum est autem, me per προβλεπω (per quam Bertius præscientiam intelligit) intelligere & vertere prædecretum. Similiter falsum est, ex mea sententia *Scire & Decernere* in Deo idem esse. Quam sententiam Bertius refutare instituit ex consequente absurdo: quod tamen absurdum non est, nempe *peccata fieri Deo volente, decernente, ordinante: item prævolente, prædecernente, præordinante: ita ut non possint non evenire.* Nam quòd hinc inserit, *Ut fieri DEBEANT, κατὰ γενεσικῶς* loquitur: aut si propriè illo verbo se uti hinc dicat, nego hanc sententiam è præcedente sequi. Neque enim debet quisquam furari, vel scortari, vel aliter peccare: si Deus omnes actiones hominum gubernat: Quid' debeamus facere, lex Dei nos docet. Quòd' autem Deus actiones omnes nostras, sive bonas,*

Pag. 64.

65. &amp; 66.

Pag. 66.

Pag. 67.



sive malas, gubernet, testantur sacrarum literarum tum dicta, tum exempla. Act. 17. v. 28. ait Paulus, *Per ipsum* (nempe Deum) *vivimus & MOVEMUR, & sumus.* Prov. 21. v. 1. ait Salomon, *Ut rivi aquarum, sic cor regis est in manu Jehovæ: quocumq; vult, inclinatur illud.* Exempla autem gubernationis divinæ adulteriorum Absalomi & maledictorum Simeji supra semel atque iterum recitavi. Nec verò talis agendi necessitas, quæ à decreto divino pendet, absurda videri debet: quum salvam relinquat libertatem agentis.

Pag. 67.

Pergit: *Atqui sicut scientia non precedit res, sed sequitur: sic præscientia non precedit decretum de rebus, sed sequitur.* Bene habet. Si præscientia Dei non præcedit decretum ejus de rebus: ergo decretum à præscientia non dependet: ergo decretum de hominibus servandis & cōdemnandis non dependet à præscientia fidei servandorum & incredulitatis cōdemnandorum. Atque ita Bertius suam ipsius sententiam quam supra aliquot rationibus stabilire conatus est, hîc uno momento ipsemet evertit. Quòd autem subjungit, *Deum quædam quæ ipse facere velit, decernere conditionaliter,* falsum est. Nullum enim est decretum Dei conditionale. Sic enim quædam Dei decreta essent indefinita, manerentq; in suspensio, donec conditio impleretur. Hoc autem cum sapientia atque omni-  
scientia Dei pugnat.

Pag. ead.

Postea de præscientia Dei & necessitate actionum humanarum recitat aliquot dicta patrum, quibus illi negant necessitatem actionum humanarum à præscientia Dei tanquam causâ dependere: illisque opponit verba quædam mea, quasi in illis doceatur contrarium: at sententia contraria nusquam in illis verbis meis reperitur: sed hoc tantum asseritur; quicquid Deus præscit, id futurum necessario (id est, infallibiliter) quia præscientia Dei falli non potest. Quod ipsum in tractatu meo de gratia Dei, expressis verbis posui pag. 12. sic scribens, *Porro ad præscientiam Dei quod attinet: etsi illa NON EST CAUSA rerum: tamen quia infallibilis est, vera est hæc collectio, Deus præscit omnia futura, Ergo omnia fient necessario: id est, ita ut non possint non fieri. Si enim possent non fieri, falleretur* (In Apologetico Bertii mendosè legitur, *solveretur*) *præscientia Dei.*

Pag. 68.

Nec propterea confunditur (ut me hîc reprehendit Bertius) necessitas causæ cum infallibilitate eventus sive conclusionis. nam necessarium dicitur quod aliter se non potest habere. Quæ autem præscit & decrevit Deus, non possunt se aliter habere: idq; tum propter præscientiæ infallibilitatem, tum propter immutabilitatem decreti.

Pag. ead.

Pergit: *Necesse est ergo eveniant scandala. Cur* (An quia id Deus præscit?  
Nequa-



*Nequaquam. Et tamen præscivit Deus ea futura: & quia præscivit, futura etiam prædixit. Cur igitur? Quia tanta est hominum improbitas & malitia ut secus fieri non possit. Hanc autem malitiam Deus justus & sapiens iudex consilio ac ratione permittit. Respondeo: Si necessitas scandalorum pendet à malitia hominum, tanquam à causa: malitia autem hominum pendet à permissione Dei: permissio autem Dei pendet à consilio Dei: sequitur, necessitatem quoque scandalorum pendere à consilio Dei, tanquam à causa. Attamen Bertius paulò post negabit, scandalum prodicionis Judæ pependisse à decreto Dei. Itaque sibi non constat. Postea recitat dictum Chrysostomi *Ibidem.* quo negat, per illud dictum Christi de scandalorum eventu perimi liberum arbitrium, aut necessitatem & vim aliquam vitæ inferri. Quod potest admitti, intellectum de libertate actionum humanarum quatenus opponitur coactioni.*

*Pergit: Hæc autem præscientiâ sublatâ, necesse est decreta omnia concipi- Ibidem.*  
*antur efficacia, Volo, Decerno, Statuo, Destino, Ordino, Præordino, Prædestino, Prædecerno. Qualia hæc sunt, Volo ut Judas filium meum prodat, Nolo in ipsius potestate sit non prodere. Quæ si ita sunt: nõnne consequens est, ut omnia æternis & trabalibus necessitatis clavis fixa sint: ita ut nulla sit liberè agentium præelectio, omnis sit frustranea deliberatio, nulla in Deo vera permissio? Respondeo: Hic pro absurdo habet Bertius, quod revera absurdum non est: quodque pro absurdo non haberet, si saperet è sacris literis: quippe quæ disertis verbis testantur, Filium Dei à Juda proditum esse definito consilio & decreto Dei, Act. 2. v. 23. Porro decreta Dei omnia immutabilia sunt, & Deus est omnipotens: hinc sequitur, decreta Dei omnia esse efficacia: id est, talia ut omnino fieri oporteat quòd à Deo decretum est, sive ipsemet facere id velit, sive permittere atque procurare ut fiat ab aliis. Christus dicebat discipulis quum caperetur & ad supplicium raperetur, Oportet (id est, necesse est) ita fieri. Cur? Quia ita decretum erat à Deo: non minùs quàm ipsa prodicio Judæ. Nec tamen hinc sequuntur tria illa absurda quæ necit Bertius: nempe nullam esse liberè agentium præelectionem, omnem esse frustraneam deliberationem, nullam in Deo veram permissionem. Nam ad primum quod attinet, Judæi liberè ceperunt Jesum, & manibus sceleratorum cruci affixerunt: & tamen id fecerunt definito, ac proinde efficaci, consilio atque decreto Dei, Act. 2. v. 23. Deinde deliberationes multæ successum habent: & tamen successus ille (sicut omnia) gubernatur à Deo, ac proinde à Deo efficaciter est decretus. Tum Deus verè permittit fieri quicquid fit, quia non impedit: & tamen permissio illa à Deo est decreta, idque efficaciter.*



Pag. ead.

Pergit: Ergone etiam nobis, ut poëta quidam cecinit,

Hoc quoq<sup>3</sup>, fatale est, sic ipsum expendere fatum?

neg<sup>3</sup> fieri potest, quin nos istam, Piscator illam, de sancta Dei prædestinatione habeat sententiam, quia ab æterno scil. ita decretum est atq<sup>3</sup>, constitutum? Ergone hoc ipsum quod nos nunc agimus, quod ego disfero, quod vos me auditis, opus est ipsius Dei, quod ille omnipotentia sua movet, sicut & alia omnia? Respondeo: Si hac de re dubitat, cãmve negat Bertius: dubitet etiam necesse est negetve dictum illud Pauli Act. 17. *Per ipsum vivimus & MOVEMUR & sumus.* Interim nihil nobis cum fato illo Stoico de quo poëta ille. Fatum Christianum, est decretum Dei, vel si mavis, decreta: quæ ille semel apud se fatus est atque constituit.

Pag. 59.

At contra hanc sententiam disputat Bertius è consequentibus absurdis, sic pergens, *Quod si ita est: jam Deus in me credit sibi, adorat se, discit voluntatem suam ex lege & Evangelio: Idem in impiis scortatur, inebriatur, peccat: absit dicto blasphemia. Et fient hæc ita in singulis, quia Deus efficaciter ista ab æterno ita facere decrevit.* Ego verò nego, ista absurda ex illa sententia consequi. Quæ enim est hæc consequentia, *Deus movet homines ut hoc vel illud agant: ergo ipsemet illa agit?* An non hoc est, diversum habere pro non diverso: id est, errare? Diversæ certè actiones sunt, actio hominis & actio Dei, qua is hominem ad agendum movet. Deinde quin Deus hominem moveat ad credendum & alias quas Bertius hîc commemorat actiones bonas & sanctas, puto nec ipsum negaturum. Quod autem moveat ad actiones istas turpes: etsi absurdum videtur Bertio, tamen verum est, quia sacræ literæ id testantur in exemplis jam aliquoties à me allegatis: puta adulterii Absalomi cum uxoribus Davidis, maledictorum Simeji quibus Davidem proscidit, mendaciorum prophetarum regis Ahabi quibus illum deceperunt ut bellum sibi perniciosum susciperet. Hîc tamen prudenter & circumspectè discernendum est inter ipsam hominis actionem & vitiositatem quæ ei adjungitur. Actio est partim à Deo, partim ab homine: vitiositas actionis, cujus respectu illa peccatum est & dicitur, non est à Deo, sed ab homine & diabolo: qui hominem initio ad peccandum induxit, unde factum ut ille naturam suam corruperit, vitiositatemque contraxerit: cujus vi subinde peccat & actiones vitiosas edit. Porrò quin Deus ab æterno efficaciter decreverit ita movere homines ut eos movet, non est dubitandum. Nihil enim agit ex improvîso. Pugnaret enim hoc cum sapientia ipsius.

Sed contra hanc sententiam affert Bertius dictum Justinii martyris,



tyris, negantis omnia evenire fato: quia *secus nihil omnino in nostra esset potestate: ac proinde homo carebit culpa, quum malè agit: itemque laude, quum agit bene.* Respondeo: Justinus Martyr per fatum haud dubiè intelligit fatum Stoicum: quod & nos rejicimus. Interim tamen quia eadem dici posse videntur de fato Christiano, id est, de providentia & decretis Dei: nego, si omnia fiunt ex decreto Dei, inde sequi commemorata absurda. Deus enim decrevit permittere, ut homo etiam post lapsum, liberè, & non coactè, agat quicquid agit: ac proinde quum malè agit, meritò culpatur: quum benè, meritò laudatur.

Quare falsò mihi impingit Bertius, *Quòd omnem homini libertatem adimam, quòd praelectionem ex eo tollam, hoc est, ex homine truncum faciam.* Pag. ead.  
Nec verò dum Deo tanquam primæ causæ adscribo omnia, id est, omnes nostros motus sive actiones, cum Paulo Actor. 17: continuò sequitur, me adscribere ei etiam mala, id est, motus malos, nempe quatenus illi sunt mali. Distinguendum est enim inter ipsos motus, & malitiam seu vitiositatem eorum.

Postea ad propositum suum stabiliendum recitat sententias quasdam *Prosperi*: sed illæ nullam probandi vim habent: quum quæ ad doctrinam Christianã pertinent, è sola sacra scriptura probari debeant: cum qua manifestè pugnat sententia illa, *Qui dicit, quòd qui Evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant: & quòd Deus ita definitur ut quicumq; non credunt, ex ipsius constitutione non credant, non est catholicus.* Pag. 69.  
Non ergo fuerit catholicus apostolus Johannes, qui de Judæis Christum Evangelium prædicantem audientibus scribit, *PROPTEREA non poterant credere; quia iterum dixit Esaias, Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum &c.* Johan. 12. v. 39. & 40. Si Deus oculos Judæorum excæcavit, utique etiam excæcare decrevit: unde jam sequitur, illos ex Dei prædestinatione non credidisse. & 70.

Pergit: *Porro ex iis quæ hæctenus audivistis, facile apparet, primam illam S. Theologiæ, imò & universæ religionis legem, impressam animis nostris à Deo, & omnis posterioris veri fontem (quam idcirco Justinus rectè vocat τὸν ἀρχαιότατον θεῖον λόγον, alii τὸ ἔμφυτον ἡμῶν δίναιον) à Piscatore tolli penitus atque obliterari. Deum enim (verè illum sanctum & bonum Deum) facit exitii humani & peccati causam: & quidem causam primam, causam per se, causam efficacem, causam solam: quo quidem nihil potest dici aut fingi falsius.* Respondeo: Unica S. Theologiæ & veræ religionis lex est verbum Dei. Non igitur prima ejus lex est notitia aliqua de Deo à natura nobis insita.



*Pag. ead.* Deinde falsò mihi tribuit Bertius, quòd Deum faciam causam peccati, & quidem solam. At crimen istud probaturus, recitat verba quædam tanquam mea: nec tamen locum annotat, unde illa depromserit. Sed esto, sint mea: considerandum restat, an ex illis rectè probet Bertius, me facere Deum causam peccati. Verba sunt hæc: (1) *Princeps incredulitatis causa est reprobatio.* (2) *Decretum reprobationis est causa incredulitatis.* (3) *Deus impedit reprobos ne credant, atq; ita est causa ipsorum incredulitatis.* Respondeo. Etsi incredulitas respectu incredulorum peccatum est: quia debebant credere, quum hoc eis à Deo mandatur: tamen respectu Dei ita punientis antecedentia ipsorum peccata, non est peccatum, quia est justa pœna. Unde autem hæc pœnæ inflictio nisi ex decreto reprobationis? Sicut enim fides oritur ex decreto electionis, teste Paulo Rom. 8. v. 30. ita è contrario incredulitas ex decreto reprobationis oriatur necesse est. Impedit autem Deus reprobos ne credant, *quatenus eis dat spiritum soporis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant:* Sicut de incredulis Judæis sui temporis ex propheta Esaia loquitur apostolus Paulus, Roman. II. vers. 8.

*Pag. ead.* Pergit: *Sed videamus, quibus ille (Piscator scilicet) argumentis sententiam istam muniat. Primum: Quia per Deum stat, inquit, quò minus homines in ipsum credant. Deinde, quia Deus non vult eos credere & salvari. Tum, Quia Deus occultè impellit eos ad peccandum, etiam si verbo id vetet. Præterea, Quia conducit hoc ad Dei gloriam, quæ sine eo in obscuro lateret. Adhæc, Quia Deus illos prædestinavit exitio pariter & peccato: ita ut utrumq; necessarium sit, hoc verò insuper illi subordinatum. Deniq; quia non est in ipsorum potestate alterutrum evitare.* Respondeo: At cur non annotavit loca ubi singula ista à me scripta sint? Quod quia non facit, non teneor illi ad ea respondere. Quæ loca si annotaverit: videndum erit, an ista omnia à me scripta sint ad muniendam istam sententiam, de qua nunc agitur, nempe quòd Deus sit causa incredulitatis. Id quod puto nequaquam repertum iri.

*Ibid.* Pergit: *Certè si hæc omnia vera sunt: non jam hominum erunt peccata, sed Dei. Nego consequentiam. Nam etsi Deus peccata & permittere & procurare decrevit: tamen non decrevit illa committere. Deinde peccata quæ ab hominibus committuntur, nihilominus hominis sunt: quatenus illi agunt contra legem Dei. ἡ δὲ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, I. Joh. 3. v. 4. Id est, Peccatum est discrepantia à lege.*

*Pag. 71.* Pergit: *Quibus nihil habeo quod opponam efficacius verbis Irenæi libro de monarchia, qui Florinum similia dicentem sic affatur. Tum recitat verba Irenæi. Respondeo: Si Bertius nihil habet efficacius verbis Irenæi, quod dictis*



dictis meis opponat: fatetur igitur se non habere dicta scripturæ sacræ quæ verbis meis opponat: nam certè si qua sacræ scripturæ dicta verbis meis opponi possent, illa citra controversiam essent efficaciora quàm dicta Irenæi. Deinde falsum est, ea quæ in Florino reprehendit Irenæus, similia esse illis quæ à me scripta sunt de causa prima incredulitatis. Florinus enim docuit, *Deum creasse mala*, teste Augustino de hæresibus c. 65. Id quod apertè pugnat cū sacra scriptura Gen. i. v. ult. ubi sic ait Moses, *Tum inspexit Deus quicquid fecerat: ecce autem bonum erat valde*. At quæ à me scripta sunt de causa incredulitatis, cum sacra scriptura non pugnant, sed in illa expressè traduntur. Non ergo sunt isto Florini dicto, quod Irenæus meritò detestatur, similia.

Pergit: *Quid si verò quis Christianos exhortans vires humanas efferat vehementius: aut gratiam Dei extollens, viribus nostris plusculum deroget: an idcirco protinus audiet vel ob illud factum Pelagianus, vel ob istud Manichæus?* Respondeo. Hæc querela ad me propriè non pertinet. Neq; enim ego in scriptis meis (quod meminerim) talem consequentiam usquam posui. Interim non video quæ ratione Manichæus dici mereatur, qui gratiam Dei extollit. Neque enim de Manichæis (quod sciam) legitur, eos de gratia Dei extollenda sollicitos fuisse. Legatur Augustinus De hæresibus. cap. 46. Qui autem vires humanas in tantum effert, ut dicat *nos posse velle bonum*: ut dixit Bertius pag. 61. nempe posse à natura, & bonum spirituale, nempe pœnitentiam agere & in Christum credere, ut mentem suam declaravit Bertius pag. 62. is certè Pelagianus jure audiet.

Pergit: *Nihil est periculosius quàm in alteram partem definire, quum utriq; aliquid debetur. Agit Deus, agit homo. Dicit ille, Salva te, ô homo. Apostolus Timotheo: Si hæc feceris, salvabis & alios & te. Christus de se, Veni ego salvare, inquit, quod perierat. Ergo ne aut homo salvator suus, aut Christus non salvator noster? Absit. Utriusq; est suum hîc agere. Sed hominis est, postquam omnia effecta sunt, gloriam operis Deo tribuere, à quo illud ipsum quod benè fecit, consecutus est. Facit nos Deus vasa honoris: sed & homo semetipsum facit, dicente Apostolo (2. Tim. 2. v. 21.) Si quis sese ab his expurgarit, erit vas ad decus. Quanto hæc verius ita dicuntur, & ad concordiam efficacius: quàm si quis vel omnia ad hominem revocans, audiat Pelagianus; vel omnia ad Deum, Stoicus aut Manichæus?* Respondeo: Nempe ad concordiam inter nos efficiendam conducere putat Bertius si dicamus, in salvatione hominis, ut ipse hîc loquitur, seu in amplectendo Christo, ut loquitur pag. 73. id est, (sicut usitatè loquuntur Theologi) in conversione hominis, aliquid ut debitum tribuamus Deo, & aliquid homini. Sed frustra. Nam hæc inter Deum & hominem.



partitio & utriusque in conversione hominis *συνέργεια*, id est, cooperatio, sacris literis adversatur: quippe quæ totam conversionem Deo soli tribuunt. Paulus ad fideles Ephesios ita scribit, *Gratiâ istis servati per fidem: idq; non ex vobis, Dei donum est*, Ephes. 2. vers. 8. Ergo fides non est partim ex homine, partim ex Deo: sed tota ex Deo donante. Attamen Paulus salvationem auditorum Timothei tribuit etiam ipsi! 1. Tim. 4. vers. 16. Sed quid hoc ad quæstionem propositam, quæ est de cooperatione hominis cum Deo in ipsius conversione? Aliud certè est dicere, Minister Evangelii salvat hominem quum ei prædicat illud: aliud verò, Homo seipsum salvat ex parte, quatenus viribus liberi arbitrii Evangelio credit. Itaque inepta est ista illatio, *Ergone aut homo salvator suus, aut Christus non salvator noster?* Quasi scilicet ex duobus scripturæ dictis recitatis utrumque illud saltem in speciem sequatur! Imò nulla species est consequentiæ in enthymemate hoc, *Minister Evangelii salvat hominem predicando ei Evangelium: Ergo homo est salvator suus.* Nec in isto, *Christus venit salvare quod perierat: ergo non est salvator noster.* Præterea nec illud rectè dicitur à Bertio, prout ipse quidem intelligit, *FACIT nos Deus vasa honoris.* quasi scilicet nos jam creatos, vasa honoris faciat. Etenim *FECIT nos Deus vasa honoris*, quum nos creavit: teste apostolo Roman. 9. vers. 21. & vigesimotertio. Similiter nec illud rectè dicit, *Homo semetipsum facit vas honoris.* Etenim omnis homo quum crearetur, factus est à Deo aut vas honoris, aut vas contumeliæ, Rom. 9. vers. 21. Ergo nemo seipsum facit vas honoris. Nec diversum probari potest verbis Pauli 2. Timoth. 2. vers. 21. *Si quis sese ab his expurgarit, ERIT vas ad decus.* Sensus enim non est, quòd tum demum tale vas futurus sit: se quòd futurum sit ut tale vas esse cognoscatur. Sicut Christus ajebat discipulis Johan. 15. v. 8. *In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum multum feratis: & ERITIS mei discipuli.* Id est, cognoscemini esse, quippe jam tum discipuli Christi erant, quum hoc eis diceretur. Adhæc istud quoque enthymema vitiosum & calumniosum est, *Iste in conversione hominis ad Deum omnia revocat ad Deum: ergo est Stoicus aut Manichæus.* Quasi verò vel Stoici quicquam docuerint de conversione hominis ad Deum: vel Manichæi in eadem omnia ad Deum revocasse legantur: vel si id fecissent, propterea is qui idem facit, Manichæus dicendus esset!

Pag. ead.  
671.

Pergit: *Sunt ergo vitanda hoc argumentum tractantibus plura precipitia. Primum esto Pelagianorum: qui libertatem humanam ita defenderunt, ut & gratiam Dei salutarem & providentiæ generalem concursum negarent. Secundum*

dum



dum esto Prædestinatorum &c. Tertium Gnosticorum &c. Quartum Marcionitarum. Quintum Manicheorum. Sextum Semipelagianorum. Respondeo: Turpe est doctore (ut ait Cato) quum culpa redarguit ipsum. Rectè monet inter alia præcipitia vitandum esse præcipitium Pelagianorum: at ipsemet illud non vitat. Pelagiani, ut hoc loco refert Bertius, libertatem humanam ita defenderunt, ut negarent gratiam Dei salutarem. De cuius gratiæ negatione ita scribit Augustinus De hæresib. cap. 88. Hi (nempe Pelagiani) Dei gratiæ (quâ prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, & quâ eruiamur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait, Nemo venit ad me nisi fuerit ei datum à patre meo: & quâ diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur) in tantum inimici sunt ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata. Hæc de Pelagianis Augustinus. Jam quid Bertius? Gratiam illam prædestinationis cui inimici fuerunt Pelagiani, passim oppugnat. Si excipiat, se expressè scripsisse (suprà paginâ 63.) non esse gloriæ Dei studio negandam gratiam Dei, gratiam illam primam, gratiam inherentem, gratiam communem, gratiam cujusvis posterioris oblata gratiæ prensatricem: sciendum est, hanc non esse gratiam illam salutarem, quam negasse dicit Pelagianos. Illa enim non inhæret homini, sed est extra hominem in Deo prædestinante *eis ὑποθεσίαν*. Nec est omnibus hominibus communis, sed propria electorum. Nec est aliarum gratiarum (id est, donorum Dei) prensatrix, sed tributrix. Imò gratia illa Dei de qua in sententia recitata loquitur Bertius, est illa gratia Dei quæ posita est in libero arbitrio: quam ideo haud dubiè primam nominat, quòd eam nullis suis præcedentibus meritis à Deo accepit nostra natura. At hanc Dei gratiam ipsi quoque Pelagiani professi sunt, teste Augustino in loco allegato.

Ad reliqua præcipitia quod attinet: antequam considerem quàm rectè affirmet Bertius, me in illa impegisse: operæ pretium est ut dogma hæreticorum illorum quos Prædestinatos vocabant, refutem. De his ergo sic refert è Sigeberto Bertius: *Prædestinatorum hæresis hoc tempore (scilicet anno Domini cccc xv.) cœpit serpere: qui ideo prædestinati vocantur, quia de Prædestinatione & divinâ gratiâ disputantes, adserabant, quòd nec piè viventibus profit bonorum operum labor, si à Deo prædestinati sunt ad mortem: nec impiis obsit quòd improbè vivant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam.* Ista assertio nititur falsâ hypothesis: quasi scilicet fieri possit, ut piè viventes & bonis operibus stu-

Pag. 72.



dentem prædestinati sint ad mortem: item ut improbè viventes, nempe per omnem vitam, prædestinati sint ad vitam. Imò qui ad mortem prædestinati sunt, illis non datur à Deo hæc gratia ut piè vivant & bonis operibus studeant: sed relinquuntur in naturali sua pravitate. Similiter qui ad vitam prædestinati sunt, illi non relinquuntur in naturali sua pravitate: sed ex gratia Dei donantur fide per dilectionem operante. Quos enim Deus prædestinavit ad vitam, eos prædestinavit quoque ad media, quibus ad vitam pervenitur: similiterque quos prædestinavit ad mortem, eos etiam prædestinavit ad media quæ ad mortem deducunt.

Pag. ead.

Porro Bertius probaturus, me in præcipitia illa Prædestinatorum, Gnosticorum & reliquorum, quorum dogmata commemorat, impegisse, sic pergit: *Talia ergo sunt ista Piscatoris. Deus primò voluit gloriam suam. Hanc gloriam voluit exstare in patefactione justitiæ suæ & misericordiæ. Elegit ergò ad salutem hos, rejecit in exitium istos. Illorum decrevit misereri, istorum non. Vidit, sibi ad exitium utrorumq; opus esse peccato. Ergo hoc ipsum statuit ita permittere, ut & vellet illud, & in hominis arbitrio nollet esse, illud non velle. Hinc ergo necessitas peccandi. Hinc decretum, electis dandi Christum, reprobis non: illos vocandi efficaciter, istos non: illos trahendi, hos non: illos à peccato mortali custodiendi, hos non: illis dandi fidem salvificam, his eam denegandi; illis peccata omnia remittendi, istorum peccata omnia puniendi: illorum peccata subalternandi & convertendi ad ipsorum salutem, horum peccata procurandi ad ipsorum perniciem. Respondeo: Duo mihi hinc tribuit Bertius, quæ pro meis non agnosco. Unum est, quòd Deus viderit, sibi ad exitium UTRORUMQUE (& electorum scil. & reproborum) opus esse peccato. Nusquam enim ego hoc scripsi: sed scripsi, Disputatione adversus Schafman. sect. 35. Deum opus habere peccatore ad patefaciendum gloriam suam: videlicet tum gloriam justitiæ in peccatore non resipiscente damnando, tum gloriam misericordiæ in peccatore resipiscente servando. Item Refut. meæ pag. 170. Commune utrisq; (scil. & vasis misericordiæ & vasis iræ) medium est peccatū: quod nisi intervenisset, nec misericordiæ illi, nec iræ sive justitiæ locus fuisset. Hinc jam existit decretum novum, quòd scil. Deus decreverit permittere peccatum. Alterum est, quòd Deus decreverit fidem salvificam reprobis DENEGARE. Denegare dicitur is qui petenti recusat dare id quod petit. At reprobi fidem salvificam à Deo non petunt. Si enim peterent, daretur eis: juxta illud Christi Luc. II. v. 13. *Quanto magis pater vester celestis dabit Spiritum sanctū iis qui ab eo petierint?* Hisce mutatis atque correctis, nego hæc mea effata TALIA esse qualia sunt dogmata Prædestinatorum, Gnosticorum & reliquorum quos*

Bertius



Bertius hîc commemorat, hæreticorum. Provoco ad iudicium omnium æquorum atque intelligentium lectorum.

Pergit: *Neq<sub>3</sub> verò possum causam ullam comminisci, cur Piscator à decreto* Pag. 73. *electionis excludat Christū, nisi quia statuit fidei quoq<sub>3</sub> ipsius & obedientiæ nostræ* *αἰγιωσι* *à decreto illo excludere. Putat forte efficax illud esse adversus Pontificios, à quibus maximè dissentire cupit. Considerat ergo Christum non ut causam electionis, neq<sub>3</sub> fidem ut objectum præscitum: sed Christum ut instrumentum electorum, factum à Deo ad salvandos ipsos: fidem ut instrumentum ipsis infusum sine ipsorum concursu, ad amplectendum Christum. Resp. Non opus fuisset Bertio comminisci aliquam causam, cur Christum excludam à decreto electionis tanquam causam, si memoriâ ei suggessisset ea quæ scripsi in Disputatione mea advers. Schaf. sect. 95. ubi ad hoc probandū adduco verba Petri, I. Pet. I. v. 20. ubi ait, agnum illum Christum ante jacta fundamenta mundi prædestinatum sive præordinatum esse. Sed videamus, quænam & quot doctrinæ capita hîc mihi tanquam erronea attribuat. Animadverto autem hæc sex: (1) quòd excludam Christum à decreto electionis, (2) quòd ab eodem decreto excludam fidei & obedientiæ nostræ *αἰγιωσι*, (3) quòd considerem Christum non ut causam electionis, (4) quòd considerem fidem non ut objectum præscitum, (5) quòd considerem Christum ut instrumentum electorum, factum à Deo ad salvandos ipsos, (6) quòd considerem fidem ut instrumentum salvandis infusum, sine ipsorum concursu, ad amplectendū Christum. Sed debuit annotare loca ubi ego singula ista doceam. Nihilominus ista ordine considerabo, tum indicans quæ pro meis agnoscam, tum declarans, sintne erronea, nec ne. De primo. A decreto electionis non excludo Christum simpliciter, sed tantum ut causam electionis: quatenus nimirum consideratur ut mediator, Disputat. adversus Schafman. sect. 95. Et hæc sententia non est erronea: quia Petrus docet, *Christum ut mediatorem à Deo esse prædestinatum*, I. Pet. I. v. 20. Ergo Christus ut mediator, seu (quod eodem redit) Christi meritum, à prædestinatione dependet ut effectum. Quomodo igitur potest statui ejusdem causa efficiens? De secundo. A decreto electionis non excludo fidei & obedientiæ nostræ *αἰγιωσι*, id est, præscientiam (sic enim hanc vocem Bertius intelligit) simpliciter, sed tantum ut causam electionis impulsivam, seu causam ob quam eligamur, Disputat. adversus Schafman. section. 94. Neque hæc sententia erronea est: quia scriptura docet, fidem pendere à prædestinatione, Rom. 8. v. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit*: id est, fide donavit. Quum ergo fides prædestinationis sit effectum: quomodo statui poterit illius causa efficiens? De tertio. Sanè ita est, considero Christum (nempe quatenus me-*

Q



diator est) non ut causam electionis, sed ut effectum. Hanc autem sententiam non esse erroneam, paulò antè demonstravi. De quarto. Falsum est, me considerare fidem non ut objectum præscitum: verum autem, me considerare fidem non ut causam electionis propter quam præscitam seu prævisam electi sumus, Disput. adversus Schafman. sect. paulò antè allegatâ. Neque hæc sententia erronea est: quum fides sit electionis effectum, ut modò demonstravi. De quinto. Non puto me uspiam scripsisse, Christum esse instrumentum electorum: scripsi autem, *Christum consideratum cum suo merito & efficacia esse causam salutis nostræ ministrum*, in Analyfi capit. I. epist. ad Ephesios. De sexto. Hoc doctrinæ caput duo membra continet: unum, quòd fides salvandis infundatur: alterum, quòd eis infundatur sine ipsorum concursu. Etsi neutrum à me scriptum esse puto: tamen utrumque, si rectè intelligatur, verum est. Fidem nobis infundi docet scriptura, quum dicit, *eam non esse ex nobis, sed esse donum Dei*, Ephes. cap. secundo, vers. octavo. Si fides non oritur ex nobis, ergo aliunde nobis infunditur. Quòd autem dicitur, eam salvandis infundi *sine ipsorum concursu*: si intelligatur de concursu mentis humanæ, tanquam subjecti quod fide illuminatur, falsum est: verum autem, si intelligatur de concursu liberi arbitrii tanquam concausæ ad fidem generandam. Nam si liberum hominis arbitrium concurreret cum operatione Dei in fidei generatione: oporteret ipsum Deo per Evangelii prædicationem vocanti assentiri ultrò & motu spontaneo. At istud non facit: quia tum demum assentitur, quum homo à Deo trahitur: teste Christo, Johan. 6. v. 44. dicente, *Nemo potest venire ad me (id est, credere in me) nisi pater qui misit me, TRAXERIT eum.*

Pag. 73.

Pergit: *Qua in re, ut illud de fide hîc omittam, multis modis peccat (Piscator.) Primùm, quòd posito decreto efficaci atque absoluto, postea nihilominus media introducit ad illum finem obtinendum: quod est entia multiplicare citra necessitatem. Neque enim opus est ullis mediis, ubi absoluta sunt & efficacia decreta. Tam autem efficax est decretum, Eligo hunc absolute & citra conditionem ad salutem: quàm est, Fiat lux, Fiat arida, Fiat mortuorum resurrectio. Respondeo. Decreta absoluta nominantur quæ non dependent à conditione, præstanda ab iis quibus aliquid decernitur: Efficacia autem, quibus certò respondet eventus rerum decretarum. Talia sunt decreta DEI circa hominum salutem. Nec tamen propterea à decretis illis excluduntur*



tur salutis media : quia Deus & absolutè & efficaciter utrumque decrevit, nempe & salutem ipsam & salutis media. Quare qui hoc de decretis Dei docet, non multiplicat entia citra necessitatem. Et jam perspicitur falsum esse, quod ait Bertius, *Non opus esse ullis mediis, ubi absoluta sunt & efficacia decreta.*

Pergit: *Deinde quòd præscientiam boni & mali, fidei & infidelitatis, à prædestinatione excludit: quum eadem debeat esse fidei ratio in consilio Dei, quæ est in eventu: ut si contingat in tempore credentes justificari & salvari, decreverit quoque ab æterno Deus credentes justificare & salvare.* Respondeo. Sanè ab æterno Deus decrevit justificare & salvare credentes: at de hoc non est quæstio: Sed quæstio est, an decreverit credentes justificare & salvare propter præscitam seu prævisam ipsorum fidem. Nec verò ego præscientiam fidei & infidelitatis à prædestinatione excludo simpliciter, sed tantum quatenus præscientia illa statuitur prædestinationis causa impulsiva.

Pergit: *Deniq; quòd Christum ministrum facit prædestinationis: quum revera sit auctor, & caput, & causa.* Id quod confirmat dicto Chrysostomi dicentis, quòd *Paulus causam omnium ubiq; faciat Christum, non ministrum aut servum.* Respondeo: Christus & author est prædestinationis & minister: author, quatenus est Deus: unde ipse apostolis dicebat, *Scio quos elegerim,* Johan. 13. vers. 18. Minister verò, quatenus est *servus patris, qui cognitione sui justificat multos,* Esai. 53. vers. 11. Erravit autem Chrysostomus, si putavit, quòd Paulus Christum ubiq; faciat omnium causam, non ministrum aut servum. Etenim expressè dicit Roman. cap. 15. vers. 8. *Christum MINISTRUM fuisse circumcisionis &c.* Id est, ministrum Dei in convertendis & salvandis circumcisis (hoc est, Israëlitis) electis.

Pergit: *Jam quòd Christum non ita principium docet esse commune & universale salutis, sicut Adam principium est universale mortis: nonne B. Apostoli disputationibus manifestè repugnat? nonne & canonibus concilii Carthaginensis damnatum est &c.* Respondeo. At cur non recitat Bertius disputationes illas B. Apostoli: vel saltem loca indicat ubi ita disputet? Ego verò dogma istud de gratiâ salvificâ universali in tractatu meo De gratia Dei abundè refutavi. Quòd autem Bertius hîc canones concilii Carthaginensis, itemque Arelatenensis, in contrarium affert, nullius prorsus momenti est.

Pergit: *Quæ quum ita sint: nihil cause erat, cur Piscator necessarium ad peccatum fuisse diceret. Nam quòd ille necessitatem in hac causa cum per-*



*missione connectit, in eo graviter peccat. Permittere enim peccatum, non est propriè velle, aut antecedente voluntate decernere ut sit, neq; ordinare ad aliquem finem: sed est non impedire id quod impedire possis. Quum ergo Deus posset impedire peccatum ratione potentiae suae, noluit illud impedire ob rationem sapientiae atq; aequitatis, eoq; permisit. Neq; enim permissionis istius alia ponenda est causa, quam constans sibi circa hominem bonitas & sapientia ipsius Dei: quippe quum non permittat Deus quia impedire non potest, sed quia impedire non vult. Bonum enim fuit non impedire: bonum inquam fuit, ipsum agens, proposita à praeii spe, sibi relinquere: ut sciret, quid sibi obtemperanti exspectandum esset. Ergo Deus quia hominem liberum creaverat, h. e. ad imaginem suam: noluit eripere ipsi eam quam dederat libertatem. Respondeo: Primùm nulla est ratio consequentiae in isto Bertii enthymemate, Christus est commune & universale principium salutis: ergo peccatum Adae non fuit necessarium. Nam ipsemet Christum tale principium salutis omnium hominum posuit, quòd sicut in Adamo omnes lapsi sunt, sic in Christo omnes restituantur. Item, quòd sicut ab Adamo reatus manavit ad omnes: sic meritum Christi concipiendum sit pro omnibus susceptum esse indiscriminatim. Quomodo autem talis ratio salutis locum habuit absque interveniente peccato? Quid enim est, lapsos restituere, nisi à peccato illos liberare? Et quodnam est meritum illud Christi pro lapsis susceptum, nisi meritum remissionis peccatum & liberationis à peccato per Spiritum sanctum? Quis ergo jam non videat, etiam positam illam falsam hypothese Bertii, quòd Christus commune atq; universale principium salutis sit: nihilominus necessariùm fuisse peccatum Adae? Quòd autem ego necessitatē in hac causā cum permissione connecto, non pecco: quia illa sese mutuò non evertunt: & utraque fundata est in verbo Dei. Permisit Deus peccatum Adae: quod ipse Bertius hoc loco fatetur. Haec autem permissio necessitatem habuit adjunctam ex ipsa natura rei. Nam quod permittitur ut fiat, id utique fit. Quod autem fit, dum fit, necessariò fit: quia ut nihil potest simul esse & non esse; ita etiam nihil potest simul fieri & non fieri. At excipit Bertius, Permittere peccatum, non est propriè velle, aut antecedente voluntate decernere ut sit, neq; ordinare ad aliquem finem: sed est non impedire id quod impediri possit. At num hinc sequetur, me peccare, quòd necessitatem cum permissione connecto? Quae enim hinc est ratio consequentiae? Deinde sibi ipse contradicit Bertius, dum dicit, *permittere peccatum non esse propriè velle, & tamen definit tò permittere per Non impedire: & mox addit, Deum noluisse peccatum Adae impedire. Nam certè si noluit impedire, voluit permittere. Permisit igitur volens. Rursum excipit, Deum noluisse impedire peccatum**

Ad



*Adæ, sed permisisse illud ob rationem sapientia atque æquitas. Esto. At hinc non sequitur, cum illa permissione non fuisse conjunctam necessitatem. Imò quia Deus constituerat patefacere gloriam tum misericordiæ suæ in peccato condonando, tum justitiæ in eodem puniendo: sapienter, idque necessariò, constituit permittere peccatum ut ad duplicem illum finem pervenire posset. Quòd autem ait Bertius, permissionis istius aliam non esse ponendam causam, quàm constantem Dei circa hominem bonitatem & sapientiam: ipse viderit, quomodo tueri possit effectum istud, Deus hominem peccare permisit ex sua circa illum BONITATE. Manet Deus bonus, etiamsi permittat homines peccare hoc consilio, ut bonitatem suam in altera vita exercent erga aliquos tantùm, erga alios verò severam justitiam. Verum est, quod ait, Deum non ideo permittere peccata quia impedire non possit, sed quia impedire non velit: si hoc intelligatur de potentia Dei qua potest quicquid vult. At quia Deus decrevit peccatum permittere: fieri aliter non potuit quin permitteret, quia decreta ejus immutabilia sunt. Ergo utrumque verum est, Deus potuit impedire peccatum, quatenus omnipotens est: & Deus non potuit impedire peccatum, sed necessariò permisit, quia permittere decreverat. Etsi autem Deus homini peccanti non eripuerit eam quam ipsi in creatione dederat libertatem: tamen fieri aliter non potuit, quin homo libertate illa ad peccandum abuteretur: quia Deus ut hoc fieret, decreverat*

*Pergit: Deinde permisit: quia tam ipse sapiens est, ut nihil possit evenire, Pag. 74. quod non ad suam gloriam queat convertere. Maluit ergo eventum præscitum ad bonum aliquod ipsi illi eventui adversum disponere, quàm prævertendo hominem, ipsiusq; actionem circumscribendo, in se culpam illius ἀταξίας transferre. Resp. Permissionis divinæ peccati causa non fuit sola sapientia Dei, qua potuit peccatum ad suam gloriam convertere: sed etiam voluntas & decretum, quo permittere illud decreverat. Deinde eventum illum peccati non tantùm præscivit Deus, sed etiam prædecrevit. Quòd autem hominis peccantis actionem gubernatione sua circumscripsit, nullam illius ἀταξίας culpam in se transtulit: quia interim homo volens peccavit; in Deum autem culpa nulla cadere potest, quum nulli legi subjaceat; sed agens liberrimum sit, gubernans omnia pro sua potestate & beneplacito.*

*Pergit: Quo posito, non habet locum id quod per prolepsin dicit Piscator: Ibidem. Quòd si quis excipiat, Deum permisisse quidem peccatum, atq; etiam decrevisse permittere: veruntamen non permisisse hoc consilio, neque huc decreto suo desti-*



nasse, ut esset medium, quo uteretur ad effectos dandos illos fines propter quos genus humanum creavit: is ex re ipsa convincitur. Quippe quum simpliciter fieri non potuerit ut fines illos effectos daret absque interveniente peccato: sicut paulò antè demonstravi. Et certè horum alterum fateamur necesse est, Deum permisisse lapsum aut consilio aut temere. Non autem permisit temere. Hoc enim affirmare blasphemum esset: quippe pugnans cum sapientissima natura Dei. Relinquitur ergò, ut Deus lapsum permiserit consilio. At quo consilio? nisi hoc ipso quod ei ad institutum ipsius perficiendum serviebat? Illud autem est hoc ipsum de quo agitur: nempe ut hominum alios ex misericordia servaret, alios ex ira atque justitia eterno exitio puniret: quorum neutrum sine interventu peccati fieri potuit. Tum subjungit Bertius: Præposterè enim concipiuntur hæc omnia. Nam permissionis decreto debuit substerni præscientia lapsus conditionata: præscientiæ, lex: legi, libertas hominis: libertati creatio, hoc ordine. Creabo hominem, faciámque eum liberum. Libero dabo legem. Ita enim convenerit. Prævideo, eum hanc legem suâ sponte transgressurum, si non impedivero. Statuo non impedire, licet possim. Hic, inquam, ordo præscientiæ & decretorum in illis servandus fuit. Respondeo. Imò præposterus est ordo, quem hoc loco instituit Bertius, præscientiam substernens decreto. Quod dum facit, sibi ipsi non constat: quippe qui suprâ pag. 67. expressè scripsit, Præscientia non præcedit decretum de rebus, sed sequitur.

Pag. 75.

Pergit: Sed Piscator, quia præscientiam nullam in Deo admittit liberè extra ipsum agentium, suamque actionem determinantium, cogitur omnia fatalibus atque adamantinis constringere necessariorum decretorum vinculis: & vel nullam prorsus admittere permissionem, vel quam unâ manu dare visus est, statim alterâ auferre. Dicit ergò, permissum esse peccatum: sed quum addit, decreto destinatum esse ut esset medium ad obtinendos fines, nonne eripit quod dederat? Sunt enim ἀσὺς ἀτα, permissio peccati liberi, atque ex humanæ voluntatis determinatione pendentis, & decretum efficax, ponens eventum inevitabilem. Nam si præscitum fuit in eo qui liber esset, pependit utique eventus ejus ex aliena voluntate, fuitque libera ejus de re non decreta deliberatio: sin præscitum fuit ut necessarium ac minimè liberum; non opus fuit ut aut homo aut Deus deliberarent de eo quod jam decretum fuerat atque definitum. Respondeo. Falsò mihi tribuit Bertius quòd præscientiam nullam in Deo admittam liberè extra ipsum agentium. Quod autem ait, libera illa agentia actionem suam determinare, errat. nam hoc solius Dei est: teste Salomone Proverb. 16. vers. 9. ubi ait, Cor hominis excogitat viam suam: sed Jehova statuit gressum ejus. Item ejusdem capituli versu primo, Penes hominem sunt acies cogitationum

num



*num cordis, sed à Jehova est sermo lingua.* Idem fatetur propheta Jeremias, Jerem. cap. decimo, vers. vigesimotertio, his verbis, *Novi, Jehova, non esse penes hominem viam ipsius: non esse penes virum ambulantem dirigere gressum suum.* Quòd absurdum putat, si omnia (nempe humana, seu humanæ actiones: de his enim nunc propriè sermo est) fatalibus atque adamantinis constringantur necessariorum decretorum vinculis: non ideo absurdum est, quia ita ei videtur: sed verum est, quia verbo Dei & naturæ Dei est consentaneum. Hic tamen verbo ambiguo utitur, quo ego uti non soleo, quum decreta Dei vocat NECESSARIA. Non enim sunt necessaria respectu naturæ Dei, quasi non potuerit non decernere Deus ea quæ decrevit. Decrevit enim omnia liberè, ex beneplacito voluntatis suæ. Sed quæ semel decrevit, ea necessariò suo tempore fiunt: quia decreta Dei immutabilia sunt. Quòd autem hinc infert, me vel nullam prorsus admittere permissio- nem: vel quam unâ manu dare visus sim, statim alterâ auferre: nihil est. Nam certum est, quæcunque fiunt in tempore, ea ut fierent à Deo decreta esse ab æterno, ac proinde non posse non fieri, propter decreto- rum divinorum immutabilitatem. Atqui Deus in tempore permit- tit fieri quæcunque fiunt. Ergo ab æterno decrevit permittere. Non ergo tollitur permissio divina per immutabilitatem decreti divini, ac proinde per necessitatem eventus. Itaque non evertunt se mutuò duo hæc à me posita, *Peccatum esse à Deo permissum, & Esse decreto Dei destinatum ut esset medium ad obtinendos fines quos Deus in hominum gubernatione sibi proposuit.* Neque *ἀσύνετα* sunt, permissio peccati liberi, & decretum effi- cax, ponens eventum inevitabilem. Non enim rectè pro synonymis usurpat Bertius hæc duo, *Necessarium ac Minimeliberum.* Nam etiam quod liberum est respectu voluntatis humanæ, necessarium est respectu de- creti divini.

Pergit: *Et ut paucis expediam, Ejus fuit deliberare & statuere, cujus* Pag. ead.  
*fuit ipsum peccare. Hominis autem fuit peccare, non Dei. Hominis ergo fuit deliberare & statuere, non Dei.* Nimirum acutus disputator hoc loco sibi videtur Bertius, qui tam brevi syllogismo quæstionem proposi- tam concludat. Sed sophisticatur. Syllogismo enim legitimo vitio- sum immiscet atque innectit. Reverà enim hic syllogismi duo sunt. Unus sic habet,

*Cujus fuit peccare, ejus fuit deliberare & statuere.*  
*Hominis fuit peccare.*



*Ergo hominis fuit deliberare & statuere.*

Hic syllogismus legitimus est: sed eo non concluditur quæstio propo-  
ta. Non enim quæritur, an hominis, quum peccaret, fuerit deliberare &  
statuere: Sed, annon & homo statuerit, quum peccaret: & Deus statuerit  
ut peccaret. Alter syllogismus hic est,

*Cujus fuit peccare, ejus fuit deliberare & statuere.*

*Dei non fuit peccare.*

*Ergo Dei non fuit deliberare & statuere.*

Hic syllogismus vitiosus atq; illegitimus est: quia constat minore nega-  
tiva in prima figura. Pari ratione ego disputare possem contra Bertium  
ad hunc modum:

*Piscator affirmat, hominem liberè peccavisse.*

*Bertius non est Piscator.*

*Ergo Bertius non affirmat, hominem liberè peccavisse.*

*Ibidem.*

Pergit: *Quid ergo fuit deliberationis divina? Hoc scilicet, vellétne permit-  
tere id quò Adamum videbat liberâ suâ voluntate inclinaturum. Quid au-  
tem Piscator? Simpliciter, inquit, fieri non potuit, ut fines illos effectos daret  
absque interveniente peccato. Ergo Deus illud debuit permittere. Sic ergo  
colligit,*

*Sine quo simpliciter non potuit obtineri finis, illud debuit permitti.*

*Sine peccato Deus non potuit obtinere fines suos principales.*

*Ergo peccatum debuit à Deo permitti.*

Respondeo. Ego non sic loquor: id est, nõ utor hîc verbo DEBENDI.  
Sed dico, *Fieri aliter non potuisse* quin Deus peccatum permetteret. Dein-  
de Bertius mihi affingit hunc syllogismum: quippe cujus nec major nec  
conclusio in verbis meis reperitur. Syllogismus autem ex verbis meis sic  
erit formandus:

*Si simpliciter fieri non potuit, ut Deus fines illos ( nempe patefactionem  
misericordiæ & justitiæ suæ in peccato tum condonando, tum puniendo)  
effectos daret absque interveniente peccato: sequitur, Deum permi-  
sisse peccatum hoc consilio, atq; huc decreto suo destinasse, ut esset me-  
dium quo uteretur ad effectos dandos illos fines propter quos genus hu-  
manum creavit.*

*Sed verum est antecedens.*

*Ergo & consequens.*

Propositio omissa est. Assumptio est ibi, *Quippe quum simpliciter. Conclu-  
sio ibi, Quod si quis excipiat.*

Quod



Quod quum ita sit, Bertius frustra syllogismum illum à se confictum refellere instituit, sic pergens: *Quasi non idem quoq; possit dici de actu Ibid. efficaci.*

*Sine quo finis obtineri non potuit, id debuit Deus facere, vel per se, vel per alium.*

*At sine peccato non potuit Deus, ut vult Piscator, obtinere fines illos principales.*

*Debuit igitur illud vel ipse efficere, vel per alium procurare.*

Nempe Bertius ex conclusionis istius falsitate evincere vult, majorem quoq; falsam esse: & hoc amplius, falsam quoq; esse majorem syllogismi prioris, ab ipso conficti. Sed quid hoc ad me? In cujus verbis nec major, nec conclusio prioris syllogismi continetur.

Pergit: *Deinde, quid opus erat illud ponere, ad quod tuendum absurda Ibid. istiusmodi essent defendenda? Quid opus, inquam, erat dicere, Deum fines istos tales sibi destinasse? Enimvero his ita ex Piscatoris sententiâ positis, non potest non poni inevitabilis peccati necessitas. Cur enim ei permisit Deus peccatum? Nimirum quia decrevit permittere. Cur autem decrevit? Quia debuit. Simpliciter, inquit, non potuit secus. Et alibi, Non potuit Deus nisi hac ratione pervenire ad fines illos principales, videl. patefactionem misericordiae in salute aliquorum, & patefactionem justitiæ in interitu reliquorum. Præterea, Permisit peccatum Deus, quia opus habuit: Ergo quia prævídít se opus habiturum, permittere decrevit. Opus, inquit, habuit Deus peccatore ad suam gloriam. Quod si ita est, non potuit jam evitari peccatū ab Adamo. Neq; verò id negat Piscator: cujus etiã hac verba sunt. Non potuit aliter fieri quin peccaret Adam. Et, Non voluit in voluntate Adæ esse non edere de fructu vetito. Respondeo: Primùm, quærit Bertius, quid opus mihi fuerit dicere, Deū fines istos tales sibi destinasse? nempe ut postea declarat, patefactionem misericordiae suæ in salute aliquorum, & patefactionem justitiæ in interitu reliquorum. In promptu est responsio, Ideo mihi opus fuit hoc dicere, quia idem ante me dixit apostolus Roman. 9. v. 22. & 23. ubi ait, Quid si verò volens ostendere iram, & notã facere potentiam suam, pertulit multã lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum: & ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiae, quæ præparavit ad gloriam? En fines illos ab apostolo ipso positos! Interim tamen contra hanc sententiam disputare non veretur Bertius, deducens inde absurdum: quod tamen revera absurdum non est. Absurdum illud (ut Bertio quidem videtur) est inevitabilis peccati necessitas, quòd scilicet istis positis, non potuerit peccatum evitari ab Adamo. At hoc non debebat ei videri absurdum, quum ex sententiis veris necessariò sequatur. Nam certè veræ sunt hæ*

R



sententiæ, Deus sibi proposuit patefacere misericordiam suam in peccato condonando, itemq; justitiam in peccato puniendo: & Peccatum neq; ex misericordia condonari, neq; ex justitia puniri potest, si non sit. Item hæc, Peccatum non esset, si non fuisset à Deo permissum. Hinc demonstratio. Si Deus sibi proposuit patefacere misericordiã suam in peccato condonando, itemq; justitiam in peccato puniendo: necesse est ut sibi etiam proposuerit peccatũ permittere. Si autem sibi proposuit Deus peccatum permittere, necessariò permisit. Si necessariò permisit, necessariò illud evênit. At verum est primum, teste Apostolo Rom. 9. v. 22. & 23. Ergo verum etiam est ultimum. Connexum primum probatur ex eo, quòd qui vult finem, is necessariò etiam vult media quæ ad finem consequendum necessaria sunt: ad patefactionem autẽ misericordiæ & justitiæ in peccato condonando & puniendo necessarium est peccatum. nam si peccatum non esset, neq; condonari neq; puniri posset. Connexum secundum probatur ex eo, quòd decreta Dei sunt immutabilia, certumq; nanciscuntur eventum. Tertium connexum probatur ex naturâ relatorum, quæ simul sunt naturâ. Relata autem sunt Permissio peccati, & Perpetratio peccati. nam quod non perpetratur, de eo non potest dici quòd permittatur ut perpetratur.

Pag. 76.

Pergit: *Quæso autem vos, viri fratres, quid ista ab illis differunt, quæ in consecratione cerei paschalis canuntur in ecclesia Romana, refragantibus quoq; apud ipsos viris doctissimis? O necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem! Respondeo: Egregia verò ratiocinatio! In Romana Ecclesia canitur, peccatum Adæ fuisse necessarium: ergo illud falsum est. Quasi verò omnia falsa sint, quæ in Ecclesia Romana canuntur! Ejusdẽ generis est & illud, Viri doctissimi in Ecclesia Romana refragantur isti sententiæ: ergo falsa est. Quasi verò falsa esse necesse sit quæcunq; viris doctissimis in Papatu improbantur! Porro ad rem ipsam quod attinet, ego nihil video quod in dicto illo meritò offendere possit præter verbum illud MERERI. Veruntamen si illud ex usu veteris ecclesiæ Latine intelligatur, nihil incommodi habet. Perinde enim est ac si diceretur, O felix culpa, cui talis ac tantus contigit redemptor: vel, quæ talem ac tantum naçta est, sive adepta est, redemptorem.*

Ibid.

Pergit: *At quantò melius Augustinus, disputans adversus Pelagium? Non hoc dicimus, inquit, quod sibi opposuit Pelagius; ut esset causa misericordiæ Dei, necessarium fuisse Adæ peccatum. Utinam non fuisset miseria, ne ista esset misericordia necessaria. Respondeo: Quasi verò ego aliquid scripserim huic Augustini dicto contrarium! Scripsi, necessarium fuisse peccatum Adæ ad pa-*

ad pa-



ad patefaciendam Dei misericordiam in peccato condonando: non scripsi fuisse necessarium, ut esset misericordiae Dei CAUSA.

Pergit: *Quocirca utut pretendatur permissio; tamen re ipsa constituitur efficax voluntas & αὐτοκράτειν ordinatio, sive, ut ipse loquitur, subordinatio. Quid juvat verbis negare quod re ipsa ponas?* Respondeo: Efficax voluntas bifariam intelligi potest: vel quæ ipsa vult aliquid efficere, vel quæ vult procurare ut aliquid ab alio efficiatur. Jam ad peccatum Adæ quod attinet: ego pono Deum illud voluisse voluntate efficace non priore sensu, sed posteriore. Non enim voluit illud ipsemet efficere, sed voluit procurare, ut efficeretur ab Adamo per liberam ejus voluntatem, dum fidem habens falso promisso Diaboli de adipiscenda æqualitate cū Deo, sciens volens mandatum Dei transgressus est. Falsò igitur mihi tribuit Bertius, me hinc verbis negare, quod re ipsa ponam.

Ibid.

Pergit: *Epicurus quum negaret à se tolli numen: tamen oppugnando providentiam, re ipsa sustulit: posuit ergo ille disputando, & evertit Deum. Similiter quoque Piscator ponit & non ponit in decretis Deum effectorem mali. Ponit enim dum negat in hominis fuisse potestate non peccare, sed à Deo peccatum ipsius ordinatum & procuratum fuisse: non ponit, quum ait, fuisse permissum. Utri hinc credam Piscatori, agenti an neganti?* Respondeo: Falsò mihi tribuit Bertius, quòd ponam Deum effectorem mali. Neq; hoc ex eo sequitur, quòd pono Deum mali (nempe peccati Adæ) procuratorem atq; gubernatorem. Aliud enim est procurare atque gubernare malum, aliud ipsum efficere. Quare non est quòd Bertius quærat, Utri hinc credat Piscatori, agenti an neganti. Neq; enim ajo ego, Deum esse effectorem mali: sed id ipsum nego. Credat ergo neganti. Epicuri exemplum dissimile est. Dissimilia enim sunt hæc pronuntiata, Si non est providentia, non est Deus, & Si Deus procurat malum, ergo efficit malum. Illud est verum, istud non item.

Ibid.

Pergit: *Et placet ipsi tamen nos urgere questionibus. Vel temere, inquit, permisit lapsus Deus, vel consilio. Rectè. Pugnant enim ista adversis frontibus. At, inquit, non permisit temere. Esto: abest enim à Deo omnis temeritas. Permisit ergo consilio. At quo consilio? An eo\* quod concepit Piscator, ordinandi αὐτοκράτειν peccatum ad fines illos commentitios? Nihil minus. Neq; enim fieri illud sine peccati culpa potuisset. Quonam igitur? Relinquendi hominem sibi, neq; eripiendi eam quam ipsi in creatione dederat libertatem: quia sive servasset mandatum, gloria Deo præmii fuisset: sive violasset, supplicii: vel nova de restituendo ipso deliberationis.* Respondeo: Fines illi ad quos ego scripsi ordinatum esse à Deo peccatum, non sunt commentitii: quia expressè traduntur ab Apostolo Rom. 9. v. 21. & 22. nempe patefactio misericordiae in pec-

Ibid.

\* In Apologetico mendosè legitur QUEM.



cato condonando, & patefactio justitiæ in peccato puniendo. Deinde falsum est, Deum non potuisse sine peccati culpâ peccatum ad illos fines ordinare. Quicquid enim Deus ordinat, sanctè ordinat: etiamsi rationi humane secus videatur. Tertio consilium quod Bertius hîc Deo tribuit, laborat à *δολοχία*. Deus, inquit, permisit peccatum Adæ consilio relinquendi hominem sibi, neq; eripiendi eam, quam ipsi in creatione dederat libertatem. Quod reipsâ nihil aliud est, quàm si diceret Bertius, Deus hoc consilio permisit peccatum Adæ, ut permetteret illum liberè peccare. Quarto ipsemet incautus consilium aliud annectit, & quidem fines tales, qui cum finibus à me positis ferè iidem sunt, uno tantum excepto. Ponit enim fines istius consilii tres: Primum, *gloriam justitiæ in dando homini premio, si mandatum servaret*: Secundum, *gloriã justitiæ in irrogando homini supplicio, si mandatum violasset*: Tertium, *gloriam misericordiæ in homine restituendo*. Verùm in hac sententia proponenda tres errores involvit: Unus est, quòd Deo tribuit ignorantiam eventus, ubi dicit, *Sive servasset homo mandatum, sive violasset*. Hoc enim perinde est, ac si diceret, Deus ignoravit utrum illorû eventurum esset: interim paratus gloriam suam ex alterutro eventu elicere. Secundus error est, quòd dicit, *Consilium Dei fuisse, ut si homo mandatum ipsius violasset: tum vel supplicii gloriã reportaret, vel NOVAM deliberationem de ipso restituendo institueret*. Quasi verò Deus non ab æterno deliberarit atq; constituerit, quòd homines lapsos, saltem aliquos, in integrum restituere vellet! Quippe quum eos quos restituit, ad hoc ipsum elegerit, antequam jacerentur fundamenta mundi, Eph. i. v. 4. quumque illis regnum cælorum paraverit à jactis fundamentis mundi, Matth. 25. 34. Tertius error est, quòd *consilium divinum restitutionis hominis lapsi tribuit homini simpliciter & in universum*: quum tamen illa propria sit electorum. Hos enim solos ut Deus in tempore restituit, sic ab æterno restituere decrevit.

*Ibid.*

Pergit: *Atq; hæc quidem naturæ Dei, hominis, rectæ rationi, literis divinis, spiritui Christi, & ecclesiæ doctrina sunt consentanea*. Et mox ad postremum membrum confirmandum adducit locum quendam Tertulliani. Respondeo: An quæ de lapsu Adami disputavit Bertius, consentanea sint naturæ Dei, hominis, rectæ rationi, literis divinis & spiritui Christi: ex iis quæ ad disputata illius respondi, intelligens lector judicare poterit. Ad dictum verò Tertulliani quod attinet, in eo nihil eorum negatur quæ à me sunt affirmata: quia in summa hoc dicit, *Deum permisisse homini, ut libertate suâ malè uteretur*: quod ipsum & ego dico.

*Pag. 77.*

Pergit: *Ex his nunc apparet, quàm malè Piscator sub finem epistolæ suæ colligat,*



colligat, quum scribit pag. 171. Unde insuper & hoc intelligi potest, lapsum primorum parentum, et si ortus fuit ex libera ipsorum voluntate, tamen respectu decreti divini accidisse necessario. Nisi enim accidisset; Deus finibus suis ad quos genus humanum condere decrevit atq; etiam condidit, excidisset: id quod tum sapientie tum potentie ejus adversatur. Tum subjungit Bertius: Vult scilicet, lapsum Adæ credamus simul fuisse & necessarium & liberum. Quod est Manem cum orthodoxis, lucem cum tenebris, verum cum falso, in unam sententiam compingere. Nam si necessarius fuit, non fuit liber. Necessarium namq; est quod non potest non esse: Liberum, quod positis omnibus ad agendum requisitis, potest vel agere, vel actionem suspendere: hoc est, facere ut sit aliquid quod poterat non esse. Si ergo Adam actionem suam potuit suspendere, non fuit necessarium Adamum labi: aut si necessarium fuit, non potuit ille actionem suam suspendere. Respondeo: At ubi Manes de necessitate peccati Adæ id ipsum docuit, quod ego doceo in pericope recitata? Certè Augustinus De hæresibus cap. 46. ubi Manetis dogmata commemorat, sententiam illam ei non tribuit. Quo jure igitur Bertius doctrinam meam dogmatibus Manetis consentaneam facit? Sed videamus, quomodo Bertius refutet sententiam in pericope recitata propositam. Sic argumentatur:

*Si lapsus Adæ fuit necessarius, non fuit liber.*

*At secundum Piscatorem lapsus Adæ fuit necessarius.*

*Ergo secundum Piscatorem lapsus Adæ non fuit liber.*

Respondeo. Fallacia est homonymiæ in vocabulo *necessitatis*. In majore intelligitur *necessitas nature*, in minore *necessitas eventus*. Si lapsus Adæ fuit necessarius necessitate nature, ita ut Adam naturâ suâ non potuerit non peccare; tum certè non potest dici, lapsum illum fuisse liberum, id est, à naturali libertate, seu libero arbitrio Adami, in creatione ei insito, profectum. Idem autem ille lapsus à me statuitur necessarius, non isto sensu, sed alio, nempe necessitate eventus. Quum enim fuerit à Deo decretus, non potuit non evenire: ac proinde evênit necessario. Ita enim sonant verba mea, *Et si lapsus primorum parentum ortus fuit ex libera ipsorum voluntate, tamen respectu decreti divini accidit necessario*. Eâdem homonymiâ laborat ista ratiocinatio:

*Si Adam, quum peccaret, actionem suam potuit suspendere, non fuit necessarium Adamum labi.*

*At potuit actionem suam suspendere.*

*Ergo non fuit necessarium eum labi.*

*Falsum igitur est quod dicit Piscator, necessarium fuisse ut Adam laberetur. Conclusio syllogismi loquitur de necessitate nature: sicut & medium istius*



sylogismi intelligitur de potentia naturali. At corollarium quod ex conclusione deducitur, loquitur de necessitate eventus, ut modo ostendi.

*Pag. ead.*

*Pergit: Deinde non dantur leges cum comminatione iis qui aliter se habere in agendo non possunt: nedum ut ad eos adhibeantur exhortationes, promissiones, obtestationes, reprehensiones, exprobrationes: cujusmodi videmus ad Adamum à Deo potuisse adhiberi. Respondeo. Syllogismus ita erit,*

*Quibus dantur leges cū comminatione, ii in agendo se possunt aliter habere. Adamo fuit data lex cum comminatione.*

*Ergo Adam in agendo potuit se aliter habere.*

Respondeo: Si conclusio intelligatur de potentia naturæ, vera est: sed de illa non est controversia: Si verò intelligatur de possibilitate eventus, falsa est: sed non sequitur ex præmissis: quippe quæ loquuntur de potentia naturæ. Deinde, major non est universaliter vera. Quippe Deus post lapsum legem dedit populo Israëlitico cum cōminatione maledictionis, nisi omnia legis mandata observarent, idq; perfectè & ex propriis viribus: & tamen populus Israëliticus non fuit ita comparatus ut posset se in agendo aliter habere, id est, ut posset legem vel observare perfectè, vel non observare: quia propter naturæ corruptionem non potuit eam perfectè observare. Quod annectit Bertius, Deum potuisse ad legem illam Adamo cum cōminatione datam adhibere exhortationes, promissiones, &c. id partim otiosè dicitur, partim falsò. Otiosè: quia non quæritur hîc an POTUERIT, sed an FECERIT. Falsò: partim quòd Deus ad legem illam adhibuit promissionem, nempe promissionem vitæ in arbore vitæ, si legem observaret: partim quòd reprehensionibus & exprobrationibus non fuit locus, quum Adam nondum peccasset.

*Ibid.*

*Pergit: Neque enim magis consentiunt ista, Adam tu non potes non peccare: quocirca vide etiam atque etiam, ne pecces: nam si peccaveris, morte morieris: quàm si quis pater filia suæ dicat, Tu quidem quum sis mulier, non potes mutare sexum: quocirca moneo te, ne fias vir. nam si fias, ego tibi uxorem dabo tam deformem, rixosam, molestam, ut ex illo facto tuo perpetuum sis dolorem perceptura. Respondeo. Contra quem verò Bertius hîc disputat? Contra mène? At ubi ego talia docui? ubi, inquam, Deum ita loquentem atq; ratiocinantem introduxi? Petulanter & malitiosè ista confingit Bertius: ut habeat quod in doctrina mea traducat & ridendum exponat. Deus dedit Adamo mandatum cum comminatione mortis, si illud transgrederetur: Debit igitur Adamus isti mandato obedire. Non autem revelavit ei arcanam suam voluntatem de mandati illius transgressione: cujus vi fieri aliter non poterat, quin mandatum illud transgrederetur.*

*Pergit:*



Pergit: Sed ille *commonstratis diversis respectibus, rem compositam, litem- que omnem confectam putat. Necessarius, inquit, fuit respectu Dei, liber respectu humanae voluntatis. Vetus quidem istud effugium est, sed nullius pretii. Quicquid enim in Adamo fuit, id fuit in ipso ex vi antecedentis decreti. Neque enim alium fecit ipsum Deus in tempore, quam facere ab aeterno decreverat. Si ergo liber fuit, fuit talis ex vi decreti. Quod si autem necessario ipsi peccandum fuit: ex quonam decreto potuit ipsi libera à Deo dari voluntas? Et si necessitas facti in- fuit respectu decreti: quomodo potuit libertas inesse respectu voluntatis: quum ipsa voluntas & secundum decretum in ipso fuerit, & decreto fuerit subordinata? Respondeo. Distinctio illa significationum vocabuli *Necessitatis* non est nullius pretii effugium: quia fundata est in usu loquendi, eoque non tantum profano, sed etiam sacro. Sic dicitur, *Ignis urit necessario*: scil. necessitate naturæ: quia ignis naturâ suâ non potest non urere. *Si asinus potest volare, necesse est ut habeat alas*: scil. necessitate consequentiæ. Sic in sa- cris literis, *Necesse est ut veniant scandala*, scil. necessitate naturæ, nempe naturæ corruptæ hominum: quæ non potest non producere scandala. Item, *Quomodo potestis bona loqui, quum mali sitis?* Quod tantundem valet, ac si dicatur, *Necesse est vos non loqui bona*: Scil. necessitate naturæ: quia à natura mali estis. *Oportet* (id est, necesse est) *ita fieri*: nempe ut Christus à Judeis capiatur & ad supplicium rapiatur. scil. necessitate cōsequentiæ, si- ve ex hypothesi decreti divini. Nec verò distinctio illa evertitur p̄ ratio- nem quæ hoc loco affert Bertius, *Quia scil. Adam liber fuerit ex vi decreti divini*. nam ex vi decreti divini Adam abusus quoque est libertate sua seu libero arbitrio suo ad peccandum, ac proinde hoc respectu peccavit necessa- riò: quia quod Deus decrevit ut fiat, id non potest non fieri. Itaque non est quod putet Bertius, duo illa Dei decreta non posse simul consistere: decretum dandi Adamo liberam voluntatem cujus vi naturali potuisset non peccare: & decretum permittendi atque procurandi ut liberâ suâ voluntate abuteretur ad peccandum, cujus vi non potuit non peccare, ac proinde peccavit necessariò. Necessarium enim est, quod non potest non esse: ut Bertius ipse paulò antè definivit.*

Pergit: *Quòd si Deus liberum voluit esse ipsius peccatum, & propria deli- berationis ac præelectionis: non potuit de illo statuere, Volo ut peccet. Nego consequentiam. nam potuit statuere & velle ut peccaret liberè, ex pro- priâ deliberatione ac præelectione. At consequentiam istius connexi sic probare instituit Bertius. Pone enim, inquit, decretum ex parte Dei, Volo A- damum peccare, imò talem creo ipsum ut re ipsa labatur: (ita enim loquitur Pi- scator) quomodo potuit voluntas ipsius nolite peccare, aut se indifferentem habere*

Ibid.

Pag. 72.

Ibid.



*ad peccatum, nisi decreta in Deo concipiamus contradictoria: Volo ut necessitate peccet, itaque adimo libertatem: Nolo ut necessitate peccet, itaque do libertatem? Quid istud est, Volo, nolo Adamum peccare? Quis ista potest conciliare inter se usque adeo pugnancia? Respondeo. Etsi Deus decrevit ut Adam peccaret, tamen voluntas Adami potuit nolle peccare, nempe potentiâ naturali: etiamsi interea non potuerit nolle peccare ex vi decreti divini. Itaque non est necesse in Deo statuere de peccato Adæ decreta contradictoria, quæ hoc loco Bertius in medium affert. Decretum enim Dei hîc unicum est, Volo ut Adam peccet, idque liberè. Hinc sequitur utrumque hoc, Adamum & non potuisse non peccare, & tamen peccasse liberè.*

*Ibid.*

*Pergit: Subordinata sanè quum eodem respiciant, non possunt respectibus pugnare. Sunt autem juxta Piscatorem subordinata & consentanea, peccatum Adæ & decretum Dei, eodemque respiciunt. Non possunt ergo respectibus pugnare. Simulatque enim pugnare cœperint, non erunt subordinata. Respondeo. Falsò mihi tribuit Bertius, quòd scripserim, peccatum Adæ & decretum Dei esse subordinata. Sed ita scripsi, Disput. adversus Schaf. sect. 31. Labi & salvari sunt fines consentanei, ut effectum & causa: quales fines vulgò appellant subordinatos, item subalternos. Etenim lapsus primorum parentum, adeoque omnium naturalium heredum, destinatus fuit partim ad salutem ex misericordia tum ipsorum priorum parentum (ut piè creditur) tum cæterorum electorum ex ipsis naturaliter oriundorum: partim verò ad justum interitum ac damnationem reprobatorum. Quare hoc argumento nihil contra me concludit Bertius: quia falsum assumit, & falsam illam assumptionem testimonio meæ confessionis falsò confirmat.*

*Ibid.*

*Pergit: Hic ergo alterutrum necesse est Piscator deligat: vel ut absolutè necessarium lapsum fuisse dicat; quo posito, excludetur libertas: vel ut liberum fuisse affirmet, quo posito, excludetur necessitas: quandoquidem fieri nullo modo potest ut fuerit simul & necessarius & liber, nisi decreta illa in Deo statuere velit contradictoria. Respondeo: Imò non est necesse ut alterum ex duobus propositis deligam: quia possum dare tertium, nempe lapsum fuisse necessarium ex hypothesi, nempe ex hypothesi decreti divini: quia enim Deus decreverat ut Adam laberetur, fieri aliter non potuit quin laberetur: ac proinde lapsus est necessariò. Interim tamen necessitate absolutâ non est lapsus, sed liberâ voluntate.*

*Ibid.*

*Pergit: Sequitur (scil. in textu Piscatoris) Quid quòd permissio peccati etsi ipsa peccatum non efficiat, tamen nisi peccato concurrente fieri non potest? Tum enim demum propriè loquendo permitti aliquid dicitur, quum fit: nec quin fiat, impeditur. Subjungit Bertius: Vera permissio non efficit illa quidem peccatum,*

*tum,*



tum, fateor: sicut nec impedit: ea verò quam Piscator nobis obtrudit, non permissio est, sed efficax ordinatio, volitio, subalternatio, adimens homini libertatem aliter quàm decretum est agendi: & constituens, illud Deo *αὐτὴν ἐπιέναι* dispensante atq; ordinante factum esse: utpote qui opus eo habuerit, nec sine eo ad bonum illud quod animo destinarat, potuerit pertingere. Respondeo: Permissio quam ego non quidem cuiquam obtrudo, sed æquis & intelligentibus lectoribus iudicandam propono, sic à me descripta est, *Quòd propriè loquendo permitti aliquid dicatur quum fit: nec quin fiat, impeditur.* Nunc assumo, Deus peccatum Adæ permisit. Annon hinc sequitur, cum illa Dei permissione peccatum Adæ concurrisset, nec fieri aliter potuisse? Nihil horum hinc attingit Bertius: sed tantum excipit, permissionem Dei quàm permisit peccatum Adæ, qualem ego afferam, esse efficacem ordinationem, volitionem &c. At quomodo hanc sententiam ex verbis meis poterit deducere? Enthymema sic erit: *Quum Deus permisit peccatum Adæ, peccatum Adæ cum Dei permissione necessario concurrat ex sententia Piscatoris: ergo ex ejusdem sententia permissio illa divina nihil aliud fuit, quàm efficax ordinatio, volitio &c.* Quæ est hinc ratio consequentiæ? Nulla. Interim verum est, cum illa permissione conjunctam fuisse ordinationem, quàm Deus peccatum Adæ ordinavit ad suos fines. Neq; istorum alterum per alterum evertitur.

Pergit: Enimverò ubi de facto quaestio est, videtur omnino ei imputanda actio, qui primò deliberat, qui ordinat, qui disponit efficaciter, qui aliquid prior ipse consequi cupit, qui ipsum illud agens in id facit, qui necessitatem infert, qui opus ipse habet, & quia opus habet, hæc omnia ita, ut diximus, disponit, & reipsa finem què primò intendebat, consequitur. Age verò uter hinc talis est, Deus an homo? Et ut *Cassianum* illud quoq; hoc loco valeat, Cui bono fuit istud ita fieri? quis ex eo commodum consequi voluit? quis opus habuit? quis quia opus habuit, hæc ita fecit? quis bonum quod initio voluit, tandem quoq; obtinuit? Facilis est ex his & brevis collectio.

*Intendere, subordinare, & procurare peccatum primò, non est simpliciter permittere.*

*Deus prior peccatum illud intendit, subordinavit, procuravit.*

*Ergo Deus illud simpliciter non permisit. Vel sic:*

*Quod quis procurat suo bono & præordinat, quia opus habet, id non permittit simpliciter.*

*Deus ex mente Piscatoris procuravit peccatum suo bono, & præordinavit, quia opus habuit.*

*Ergo Deus non permisit peccatum simpliciter.*

*Solvat hunc nodum distinctè Piscator, aut quisquis Piscatoris opinioni favet im-*



*penſiùs: ſudavit multum, nec proficiet hilum.* Respondeo: *Parturiunt montes: nſcetur ridiculus mus.* Bertius magnâ verborum copiâ, ne dicam verboſitate, & duobus ſyllogiſmis ex illâ verborum copiâ breviter collectis, concludit tandē id de quo non eſt controverſia, & quod Piſcator aperte tradidit: nempe *Deum peccatum Adæ non ſimpliciter permiſiſſe, ſed etiam procuraffe.* Nihil igitur hîc opus ſudare ad ſolvendum nodum, ubi nodus nullus eſt. Quid quòd ne illud quidē ſyllogiſmis iſtis concludit Bertius, quod in antegreſſa verborum copia, unde iſtos breviter collegiſſe ſe putat, ad probandum ſibi propoſuit? Propoſuit enim ſibi oſtendere, *ex doctrina mea ſequi, non Adamum, ſed Deum, eſſe peccati Adami effectorem:* ſeu (ut Bertius hîc loquitur) *actionem illam Adami non Adamo, ſed Deo, imputandam eſſe.* Titubat tamen in illius demonſtrationis fundamento, nempe ſyllogiſmi propoſitione majore, quum dicit, *VIDETUR omnino ei imputanda actio &c.* Intelligit autem, *EI SOLI:* ut patet ex aſſumtionem ſeu propoſitionem minore, ubi dicit, *Age verò uter hîc talis eſt, Deus an homo?* Concludendum igitur ei fuit, *Deum, non hominem, peccati Adami effectorem fuiſſe.* Sed meritò de propoſitionis veritate dubitavit. nam qui circa factum aliquod alienum talia agit, qualia hîc commemorat Bertius, ei non ſoli, ſed principaliter, perpetratio facti alieni adſcribenda eſſet. Deinde quum propoſitio illa ſit concepta ſenſu univerſali, ita ut tam de homine, quàm de Deo intelligenda ſit: inferuntur tamen quædam quæ in hominem non cadunt: cujuſmodi ſunt, *Disponere efficaciter, & Neceſſitatem inferre.* Homo enim qui alium ad aliquid agendum ordinat, non poteſt actionē illius diſponere efficaciter, ita ſcil. ut eventus propoſito reſpondeat: Eventus enim actionum humanarū in ſolius Dei poteſtate poſiti ſunt. Nec poteſt homo alteri neceſſitatem inferre, ita ut non poſſit ille non agere aliter. nam etſi forte adhibeat neceſſitatem coactionis, non poteſt tamen aliquis cogi ad agendum quidlibet.

Pag. 79.

Pergit: *Ex quo etiam apparet, inutile eſſe & inefficax effugium illud de permiſſione. Ubi enim efficax eſt actio, ibi locum non habet permiſſio.* Respondeo: Ego verò quum dico, Deum peccatum Adæ permiſiſſe; nullo effugio utor: quippe quum permiſſioni procuracionem adjungam. Quod dum facio, permiſſionem non evertō. Sunt enim illa non adverſa, ſed diverſa, quæ poſſunt ſimul conſiſtere. Certè Deus permiſit adulterium Abſalomi cum uxorib. Davidis: niſi enim permiſiſſet, non eſſet factum: & tamen Deus idem illud adulterium procuravit quoque: ſicut verba textus aperte docent 2. Sam. 12. v. 11. & 12.

Ibid.

Pergit: *Videtur hoc vidiffe etiam Piſcator. Itaq; eam permiſſionis definitionem*

tionem



tionem dedit, quæ etiam efficaci actioni competit. Tum demum, inquit, permitti aliquid dicitur, quum fit: nec quin fiat, impeditur. At ego non video, quomodo ista definitio competat efficaci actioni. Quum Corinthi Judæi Paulum adduxissent ad tribunal Gallionis; & Græci Sosthenem, præfectum synagogæ, apprehensum verberarent ante tribunal: nihil eorum Gallioni curæ erat, Act. 18. v. 17. Permisit igitur Gallio, ut Sosthenes à Græcis verberaretur, & cum illa Gallionis permissione concucurrit ista verberatio: & tamen Gallio hîc nihil egit: nihil enim eorum fuit ei curæ.

Pergit, *Atqui rectè dixero, creationem esse actionē Dei minimè impeditam, & resurrectionem nostram sine impedimento futuram: in quibus tamen locum non habet permissio. Quis enim dixerit, Deus permisit creationem? aut, permittet resurrectionem? Vitium est ex omissione duarum vocum. Permitti enim dicitur id quod ab alio liberè agente fit, nec quin fiat, impeditur ab eo in cujus potestate est illud impedire. Respondeo: Addamus igitur meæ definitioni duas illas voces (quarum tamen alteram ipsemet Bertius suprâ pag. 74. omisit, ubi dicit, Permittere est non impedire id quod impedire possis) nihilominus propositum meum obtinebo: quod est, permissionem peccati non posse fieri nisi peccato concurrente. Id jam probabo ex definitione permissionis Bertianâ.*

Ibid.

*Nulla permissio potest fieri sine concursu actionis quæ permittitur.*

*Permissio divina peccati Adami, est permissio.*

*Ergo permissio divina peccati Adami non potuit fieri sine concursu peccati Adami.*

Majorem probo ex definitione permissionis Bertiana.

*Si id demum permitti rectè dicitur quod ab alio liberè agente fit: ergo cum permissione concurrere necesse est liberam alterius actionem.*

*At verum est antecedens, confitente Bertio in allata ab ipso permissionis definitione.*

*Ergo verum est & consequens.*

Atque sic firma adhuc stat sententia illa, quâ dixi, Permissionem peccati nisi peccato concurrente fieri non posse.

Pergit: *Sed otiosa est omnis hoc loco de permissione divina cum Piscatore disputatio: quandoquidem ille peccatū Adæ, ut ostendimus, non permissioni imputat (utut verbis reclamet) sed decreto efficaci. Respondeo: Imò utrique. Decevit enim Deus permittere peccatum, ac proinde permisit. Et quoniam omnia Dei decreta efficacia sunt, id est, talia quæ effectum suo tempore sortiuntur: sive ipse decreverit aliquid permittere ut alii faciant: sive ipsemet facere: consequens est, permissionem peccati, ac proinde etiam peccatum ipsum, evenisse necessariò.*

S 2



Ibid.

Pergit: Porro nobis ista ita disferentibus, venit in mentem effugium quo uti solet Piscator, quoties argumentis nostris premitur paulò vehementius. Carnis dicit ista esse ratiocinia: ea verò quæ à se docentur, dicit esse spiritualia: quumq; sapientia carnis inimicitia sit apud Deū, negat mirū videri, si carnalia à carnalib. spiritualia à spiritalib. capiantur. Tum excipit Bertius: Quasi aut fidei inter sit illa credere quæ falsa sunt, & bonis moribus noxia: aut nos quia illa non admittimus, carnales simus. Equidem non diffiteor, nostrum esse divinae autoritati tantum tribuere, ut ei loquenti fidem habeamus, etiam refragante carne, eaque quæ à Deo dicuntur rejiciente: Sed non protinus pro divinis oraculis habenda sunt quæ à Piscatore contra rationem & insitum naturæ nostræ lumen proferuntur: putamus autem & nos spiritum Christi habere, & de rebus spiritualibus posse secundum scripturas ad Dei gloriam ex spiritu Christi judicare. Cur ergo, inquiet, illa non admittis? Quia, inquam, rectæ rationi & imagini Dei (cujus λέξις ἄρα adhuc habemus) sunt contraria. Respondeo. Rursum Bertius debuit annotare loca ubi ego illa scribam, quæ ipse hîc tanquam è scriptis meis refert. Etsi enim quod ad summam rei attinet, non diffiteor, me talia quædam scripsisse, tamen ille omnia invidiosis verbis recitat. De hoc quidem certè deponere cum illo ausim, me dicto illo Paulino Rom. 8. v. 7. *Sapientia carnis inimicitia est apud Deum*, nunquam usum quum hac de re loquerer. Scio enim, illud ab hac quæstione alienum esse: quum non loquatur de judicio mentis, sed de affectu voluntatis: ac proinde nomen φρόνημα quo illic Paulus utitur, non rectè redditur *sapientia* vel *intelligentia*: sed reddendum est *affectus* sive *sensus*. Sed rem ipsam videamus. Quum defensores liberi arbitrii, contra quos scripsi (ut Schafmannus, Vorstius, Hemmingius) contra divinam prædestinationem argumentantur ex natura justitiæ humanæ; divinam justitiam cum qua prædestinatio conjuncta est, eodem quo humanam pede metientes; nec aliquid altius atque sublimius, quod captum rationis nostræ longè superet, in illâ agnoscentes: tum soleo excipere, argumenta à similitudine justitiæ humanæ ducta contra doctrinam sacræ scripturæ de divina prædestinatione nihil valere, eò quòd justitia illa judicium rationis humanæ longè superet: & hoc ex ipsius Pauli verbis ostendere soleo: qui doctrinâ prædestinationis divinæ in medium allatâ, passim prolepses à judicio rationis humanæ ductas inferit: ut videre est Rom. 9. v. 14. Ubi recitato exemplo electionis Jacobi & reprobationis Esavi fratris, mox subjungit, *Quid igitur dicemus? Num injustitia est apud Deum?* Et paulò post quum dixisset, *Itaque cuius vult, miseretur: quem autem vult, indurat*: mox murmur rationis humanæ contra dictum istud refert, dicens: *Dices ergo mihi, Quid adhuc culpatur?* μέμπεται. Nam

Nam



Nam voluntati illius quis resistit? Sed murmur istud continenter compe-  
 scit, & justitiam Dei contra illud asserit, dicens, *Imò verò, ô homo, tu quis  
 es qui ex adverso responsas Deo? &c.* Denique quum de rejectione Judæo-  
 rum testimonia è scriptis prophetis attulisset, erumpit tandem in ex-  
 clamationem, quâ profunditatem illius consilii divini admiratur: quip-  
 pe cujus justitiam mens humana assequi nequeat, Rom. II. v. 33. & dein-  
 cept. Sic ego argumenta illa defensorum liberi arbitrii à judicio rationis  
 humanæ ducta refutare soleo. Quod dum facio, nullo effugio utor, ut  
 Bertius hoc loco dicit: Sed judicium sacrarum literarum judicio rationis  
 humanæ jure oppono. Excipit Bertius, *fidei non interesse illa credere quæ  
 falsa sunt & bonis moribus noxia.* Rectè. Sed nondum demonstravit, illa quæ  
 de divina prædestinatione à me sunt scripta, talia esse. Ego verò affirmo,  
 illa esse fundata in sacris literis: (qua de re judicium piis & scripturarum pe-  
 ritis atque intelligentibus relinquo) unde sequitur, illa nec falsa, nec bo-  
 nis moribus noxia esse. Rursum excipit Bertius, *se illa quæ à me de divina  
 prædestinatione docentur, non admittere, quia contraria sint rectæ rationi & ima-  
 gini Dei cuius λείψανα adhuc habemus,* Sed nō considerat, hominem in reli-  
 quis illis imaginis Dei consideratum, ab apostolo nominari ψυχικόν, ani-  
 malem: (id est, nihil eximii habentem præter animam rationalem) de quæ  
 illo disertè affirmare, quòd non capiat ea quæ sunt spiritus Dei: id est, mysteria  
 doctrinæ Christianæ, quæ à spiritu Dei revelantur electis per verbum  
 Dei, judicio autem rationis humanæ adversantur, I. Cor. 2. vers. 14. Sed Pag. 80.  
 contra hoc excipit Bertius, sic pergens: *Et si autem, inquit, multa habeant  
 divinæ literæ quæ rationem nostram excedunt: qualia sunt ea quæ de S. Trinitate,  
 de duarum in Christo naturarum unione hypostatica, de filii Dei ενσαρκώσει, de-  
 que aliis istiusmodi docentur in Ecclesia: nihil tamen habent quod rectam rationem  
 evertat, aut cum ea pugnet. Verum enim à vero disfidere non potest.* Respondeo.  
 Si Bertius hîc per rectam rationem intelligit, ut paulò antè, λείψανα, id  
 est, reliquias imaginis Dei: consideret dictum illud Pauli I. Cor. 2. vers. 14.  
 quod modò recitavi. Nam si homo animalis non capit ea quæ sunt spi-  
 ritus Dei: necesse est fateri, mysteria illa doctrinæ Christianæ cum ratio-  
 ne humana & insito naturæ nostræ lumine pugnare: nisi n. pugnarent, ra-  
 tio illa caperet. si verò per rectam rationem intelligit rationem à Spiritu S. per  
 verbum Dei illuminatam, tum demum verè dicit, mysteria illa doctri-  
 næ Christianæ cum rectâ ratione non pugnare. Alioqui mysterium de  
 salute nostra per Christum crucifixum cum judicio rationis naturali  
 certè pugnat, juxta illud Apostoli, *Judæi signum petunt, & Græci sapientiam  
 querunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum,*



*Græcis verò stultitiam, 1. Cor. I. v. 22. & 23. Quod posterius comprobatur exemplo Catonis; qui in Distichis suis scriptum reliquit, Ex morte alterius stultum est sperare salutem. Sed quâ fit quòd Bertius inter illa Christianæ doctrinæ mysteria silentio præterit mysterium longè maximum atque sublimissimû de divina prædestinatione? Cæterùm affert rationem, cur mysteria illa cum rectâ ratione non pugnent: Verum enim, inquit, à vero disfidere non potest. Rectè. Sed quod naturalis ratio de divinis mysteriis judicat, non est verum: sed falsum. Itaque necesse est ut illa cum ista pugnent.*

*Ibid.*

*Pergit: Neque destruit naturam divina traditio, sed perficit. Idem est natura Deus & scripturæ: idem creator, benefactor, liberator, sospitator. Quocunq; iveris, eundem offendes, ubiq; similem sui, ubiq; justum, misericordem, simplicem, verû, φιλάνθρωπον, nusquam à semetipso disidentem. Estq; id usq; adèd verum, ut Græci Evangelium ipsum rectæ rationi doceant congruere oportere, &c. Respondeo. Sanè divina traditio naturam hominis non destruit, sed perficit. At quomodo perficit? Nempe illuminando mentem & corrigendo voluntatem. At interim qui de divinis mysteriis judicant non ex mente illuminata, sed ex ratione naturali, illi malè judicant & errant. Verum est & illud, si modò rectè intelligatur, Quòd idem sit naturæ Deus & scripturæ. Nam Deus ille unus & naturam hominis condidit, & scripturam sacram prophetis atque apostolis inspiravit. At interim verum manet & hoc, naturam hominis per lapsum primorum parentum esse corruptam, mentem tenebris ignorantix rerum divinarum occupatam: unde fit ut de illis rectè judicare non possit. Quòd autem dicit Bertius, Deum UBIQUE esse misericordem, pugnat cum dictis illis scripturæ, Miserebor cujus miserebor, Exod. 33. v. 19. Rom. 9. v. 15. Et, Cujus vult, miseretur: quem autem vult, indurat, Rom. 9. v. 18. Item quòd dicit, Deum UBIQUE esse liberatorem, sospitatorè, pugnat cum dicto Pauli, quòd Christus sit servator corporis sui, i. e. Ecclesiæ, Eph. 5. v. 23. Græcorum definitio, quòd Evangelium sit sermo, &c. κατὰ τὸ εὐλογιον: si intelligatur de ratione illuminata, admittitur: si de naturali, rejicienda est.*

*Ibid.*

*Pergit: Quicquid à primis melioris naturæ principis abhorret, non est verum, utcunque id speciosè dicatur. Si dicit natura, non entis nullas esse affectiones, deque eo nihil posse predicari: non dicet spiritus; Deum antequam statuisset creare aut hominem, aut cælum, aut gehennam, voluisse maximam mundi partem gehennæ, minimam cælo destinare: ac proinde primum decretum Dei esse de non ente, Ego . . . salvabo, Ego . . . . . condemnabo, &c. Respondeo: Quum dicitur, Non entis nullas esse affectiones, id intelligitur de accidentibus inhaerentibus, non autem de externis. Verbi gratiâ, Purgatorium Papi-*  
sticum



sticum est non ens: ergo nec amplum est nec angustum, nec calidum nec frigidum, nec urit nec frigefacit; at interim accidit purgatorio ut quædam de illo prædicentur, puta hæc ipsa quæ modo dixi. Itaque Bertius non rectè dicit, *de non ente nihil posse prædicari*. Potest enim de eo prædicari, quòd sit nō ens, item quòd nullæ sint illius affectiones; itè quod ex eo possit fieri ens. Jam Deus ab æterno decrevit, ex non ente facere omne ens extra se: item ex non homine hominem, ex non cælo cælum, ex non gehenna gehennam: ac proinde ab æterno præscivit & cōsideravit non ens. Etsi igitur homo, cælum, gehenna, antequam crearentur, non fuerunt in se ipsis, fuerunt tamen in mente Dei præscientis. Itaque non rectè loquitur Bertius, quum ait, *Deum (ex doctrina scilicet mea) voluisse maximam mundi partem gehennæ, minimam cælo destinare, ANTE QUAM statuisset creare aut hominem, aut cælum, aut gehennam*. Etsi enim ordo est in decretis divinis, tamen omnia æterna sunt.

Pergit: *Capiamus aliud ejusdem farinae specimen: ut ex eo appareat, cujus- Ibid. modi ea sint quæ nob. pro spiritualib. obtruduntur. Rationis & melioris natura lex est, Non esse facienda mala ut eveniant bona: eamque legem Apostolus ductu Spiritus S. suis quoque literis consignavit. Quid Piscator? Deus vult, procurat, ordinat & subordinat peccatum plurimorum exitio, reliquorum saluti. Itaque peccatum illud evenire necesse est: ne, si non eveniat, Deus sine suo excidat. Respondeo. Quum Deus ita circa peccatum agit, non facit malum: quia quicquid agit, sanctè agit; quum sit naturâ sanctus: & peccare non potest, quum nulli legi sit subjectus. Itaque imperitè agit Bertius, quòd Deum legi illi ab ipso in medium allatæ subjicit. Sed contra hanc responsionem excipit Pag. 81. Bertius, sic pergens: *Si dicam, in homine fraudem istiusmodi culpandam esse: respondebit, Deus sanctè facit ea quæ homo faciens peccat. Apage spiritum istum: qui ea dictat suggeritque de Deo quæ in homine reprehensionem & supplicium merentur: quæque illos Deo quum fecerint simillimos, causa ipsis sint exitii sempiterni*. Respondeo. Falsò mihi tribuit Bertius, quòd doceam, *Deum sanctè facere EA (nempe OMNIA: nihil enim excipit) quæ homo faciens peccat*. Hoc nusquam in scriptis meis reperiet: sed hoc reperiet, *Quum homo alterius hominis procurat adulterium, maledicta, mendacia, illum peccare: quum verò Deus idem facit, sanctè agere: quia hæc agit ut justus iudex, puniens peccata peccatis. Deinde falsum est quod dicit, tabern scelerum procurationem homines Deo simillimos facere*. Magna enim hîc est dissimilitudo: quum homo talia procuret ex pravo affectu, Deus autem ex justo iudicio. Tum autem demum homines Deo simillimi redduntur, quum vivunt sanctè: juxta illud, *Sancti estote, quia sanctus sum, Lev. 19. v. 2.**



Item juxta illud, *Estote perfecti, sicut pater vester qui est in caelis, perfectus est,* Matth. 5. v. ult.

Pag. 82.

Pergit: *Capiamus & tertium. Docet ratio, sponte sua peccare homines, imò & liberè: neque incumbere cuiquam necessitatem peccandi, nisi eam quam quis sibi fecit. Quid Piscator? Ei placet, necessitate geri omnia: Judam necessario fuisse proditorem: neque fuisse in ipsius aut ullius creaturæ manu aliter facere aut voluntatem mutare: sed ipsum illud Judæ velle fuisse opus Dei, quod omnipotentia suâ Deus movebat. Respondeo. Omnia geruntur ex decreto Dei: ergo omnia geruntur necessitate: nam quicquid Deus decrevit, id evenit necessario: quia non potest non evenire. Itaque & Judas prodidit Christum necessario, nec potuit prodendi voluntas in eo mutari; quia prodidit Christum definito consilio & pradecreto Dei, Act. 2. v. 23. Item velle illud Judæ fuit opus Dei, quatenus à Deo fuit motum: quippe per quem vivimus, MOVEMUR & sumus, Act. 17. v. 28.*

Ibid.

Pergit: *Hæcne ego talia admittam pro doctrina spirituali: & si non admittam, audiam repente carnalis? Dura sanè conditio, imò & iniqua. Differunt enim recta secundum naturam ratio & spiritus, non ut bonum & malum, sed ut minus & majus bonum, &c. Respondeo. Quæ de necessitate eventuum & (in specie) proditiōis Judæ modò sunt recitata, ideo admittere debet Bertijs, quia fundata sunt in sacra scriptura, ut modò ostendi. Quæ si non admittit: non juvabit eum allatum discrimen inter rectam rationem & spiritum: quia ratio derogans fidem verbo Dei, non est recta, sed prava.*

Ibid.

Pergit: *Quocirca quæcunque ex sacris literis adferuntur ad evertenda hæc principia naturæ, ea omnia necesse est contra ipsas illas literas adferri. Adversum lumini naturæ est, Deum ad peccata quæ palàm prohibet, occultâ ratione homines impellere: adversum est & scripturis, & æternæ summi Dei majestati. Et tamen placet istud Piscatori: qui etiam scripturas non veretur trahere ad tam profani dogmatis probationem. Quod quid est aliud quàm ratione rationem, scripturis scripturas, & religionem religione destruere? Non est armanda scriptura contra se: nec sunt titulo reformationis procudenda opiniones insana quæ ipsam pietatem evertant, & primas naturæ tabulas corrumpant. Respondeo. Deum ad peccata quæ palàm prohibet, occultâ ratione homines impellere, docet scriptura, ubi loquitur de adulterio Absalomi cum uxoribus Davidis, 2. Sam. 12. v. 11. & 12. item de maledictis Simeii, 2. Sam. 16. v. 10. & 11. item de mendacio prophetarum Ahabi, 1. Reg. 22. v. 22. Itaque hæc sententia vera est: ut ratio humana aliter judicet. Scripturis autem adversa non est: quia sacra scriptura nusquam sibi ipsi adversatur. Neque etiam adversa est æternæ summi Dei majestati: quia scriptura sacra nihil tradit quod majestati*



majestati Dei adversum sit. Imò sententia hæc majestati Dei congrua est, quatenus ei tribuit summam de creaturis agendi, easque pro arbitrio movendi, potestatem. Quare sententia ista malè (ne quid asperius dicam) à Bertio *dogma profanum* nominatur, & inter *opiniones insanas* numeratur.

Pergit: *Ejusdem farinae est illud, Deus interdum falsum loquitur, & Deo falsum loquenti credendum est.* Tum recitat verba mea hæc, *Interdum statuendum est nobis, falsum esse verum.* Nam certè Abraham statuere illud debuit, atque etiam cum laude statuit. Tum subjicit: *Profectò si quod falsum erat, debuit Abraham pro vero statuere: fieri non potest, quin Deus falsum ipsi loquutus sit. Non potest enim benè haberi pro falso quod falsum non est. Atqui in Abrahamo absurdum istud, imò verò & impium est. Ergo & illud.* Respondeo. Quæ Bertius hoc loco pro absurdis habet, revera absurda non sunt. Id quod planè evadet, ubi historiam de Abrahami à Deo tentatione diligenter consideraverimus. Igitur Gen. 22. narrat Moses, quòd Deus Abrahamum tentaverit, dicendo, v. 2. *Assume nunc filium tuum, unicum tuum, quem diligis, Isaacum, & abi in regionem Morjæ: & offer eum ibi in holocaustum, super uno illorum montium quem dixerò tibi.* His verbis continetur mandatum Dei ad Abrahamum, ut filium suum Isaacum ei offerat in holocaustum. Hoc mandato accepto, Abrahamus debuit statuere, Deum velle ut istud faceret. Attamen Deus noluit ut faceret: quia quum facere vellet, impedivit: ut narratur ejusdem capituli v. 12. *Falsum igitur erat, Deum velle ut Abraham filium in holocaustum offerret: & tamen Abraham debuit credere, cum id velle: quia mandaverat: Ergo debuit credere id quod falsum erat: & per consequens interdum statuendum est nobis, falsum esse verum. Nempe falsum de cujus falsitate nobis non constat: sed quod ut pro vero habeamus, gravis ratio postulat.*

Pergit: *Tale est & istud: Deus est omnium dominus. Jure igitur maximam mundi partem rejecit.* Quanto verius est, Deus est omnium dominus: ergo clemens est & benignus erga omnes: neque statuit perdere alios quàm qui clementiam & benignitatem tam benefici patris essent rejecturi. Est enim, ut à Tertulliano scriptum est, *de suo clemens, de nostro justus: usque adeò autem beneficus in genus humanum, ut quum punit, dicatur extraneum & alienum opus facere, Iesa. 28.* Atqui illud de severitate Piscatoris est: hoc de clementia, recte rationis. Ille sic scribit, *Plerique homines sunt reprobati: idque ex beneplacito Dei, absque ullo merito suo.* Ista sic dicat, *Domine, Potentia tua, justitiae principium est: & quia omnibus dominaris, idcirco parcis omnibus: Tu cum indulgentia administras nos: quia adest tibi potentia quando vis. Piscator ex jure domini maluit concludere severitatem*



quàm clementiam: Sapiens clementiam & benignitatem maluit quàm severitatem. Ille sic colligit, Deus potuit jure maximam mundi partem decernere exitio, quia est omnium dominus: iste sic, Deus erga omnes clemens est & benignus, quia est dominus omnium. Veri credam; Piscatori, an ei qui à gravitate & veritate sententiarum nomen retulit sapientis? Ego verò sapientem sequi malo, & lumen verum rationis: quàm Piscatorem. Respondeo. Enthymema illud, Deus est omnium dominus: jure igitur maximam mundi partem rejecit, non est meum, sed Spiritus S. loquentis in scriptura. Paulus enim probaturus, Deum justè egisse, quòd Esavum reprobasset, allegat dictum de potestate Dei, *Miserebor cujus misertus fuero, &c.* Rom. 9. v. 13. 14. 15. Eadem autem est ratio omnium reprobatorum. Reprobatorum autem in mundo (id est, genere humano) numerus est maximus, teste Christo, Luc. 13. v. 23. & 24. Matth. 7. v. 13. & 14. Attamen huic sententiæ tanquam veriore oppone-re audet Bertius enthymema quod allegat ex libro Sapientiæ cap. 12. Sed primò malè statuit Bertius gradus in veritate, dicens, enthymema illud sapientis esse *VERIUS*, quàm enthymema meum, quod fundatum est in verbis Mosis & Pauli. Deinde frustra opponit libris canonicis apocryphum. Tertiò frustra etiam opponit dictum Tertulliani: idque tum quia nullam probandi vim habet, tum quia falsam sententiam continet, nempe *Deum non esse justum de suo*. Hoc enim necessariò sequitur ex ista antithesi, *Deus est clemens de suo, de nostro justus*. Frustra etiã opponit dictum illud Esa. 28. v. 21. Nã propheta ibi nō loquitur vel de pœna reprobatorum, vel de illorum reprobatione: sed loquitur de castigatione populi Dei per exiliũ Babylonicum. Deinde per *opus extraneum & alienum* non intelligit opus alienũ à natura aut consuetudine Dei: nã castigare filios suos, & naturæ Dei consentaneum est & Deo usitatum: sed intelligit opus insolens atque terribile, quod videri poterat alienum à natura atq; consuetudine Dei. Tum multis verbis rhetoricatur Bertius in extollenda illius sapientis, ex cujus libro enthymema suum depromsit, autoritate. Quem quum tantopere extollat, æquum est ut amplectatur etiam dictum illud quod habetur ejusdem cap. vers. 12. his verbis: *Quis enim dixerit (nempe Deo) Quid fecisti? aut quis restitutus sit iudicio tuo? & quis sit accusaturus te nomine gentium perditarum QUAS TU FECISTI?* En sapiens ille tribuit Deo jus & potestatem perdendi gentes, hoc argumento, *quòd eas fecerit*. Loquitur ibi quidem de Chananæis quos propter ipsorum scelera perdidit: sed altiùs ascendit, & jus perdendi in dominio Dei constituit. Poterat enim Deus gentes illas convertere, atque ita servare: sed usus jure domini non convertit eas, ac proinde non conversas perdidit. Porro errat

errat



errat Bertius, si putat, Salomonem fuisse sapientem illum: id est, authorem seu scriptorem libri qui nominatur *Sapientia Salomonis*. Salomon enim non scripsit Græcè: at ille liber Græcè scriptus est; & Philoni Judæo à quibusdam tribuitur. Unde liquet, librum illum apocryphum esse. Contra hoc ipsum autem excipit Bertius, sic pergens: *At ille, inquit, apocryphus est. Fateor. Sed ego Piscatorem canonicum nullum novi.* Qualis autem hæc est exceptio? Quasi ego scripserim, aut sentiam: scripta mea esse canonica: aut quasi Bertius propterea rectè fecerit, quòd librum quem ipsemet apocryphum esse fatetur, dictis scripturæ canonicæ à me prolatis opposuit! Sed mirum est, quòd hunc librum fatetur apocryphum esse, & tamen scriptum esse putat ab illo sapiente, cujus nomen præfert, nempe Salomone.

Deinceps per ἀποδιῶξιν multa & varia recitat ex meis de prædestinatione divina scriptis: in qua tamen recitatione mihi falsa quædam adscribit. Sed quoniam illa refutare non instituit, nec mihi necessitas incumbit hoc loco veritatem illorum demonstrandi: præsertim quum id jam fecerim in scriptis meis: ad quæ lectorem meum remitto. Pag. 82. & 83.

Hisce ita disputatis, epilogum instituit Bertius bene prolixum, & ad movendum animos vestros, reverendi fratres, satis oratoriè accommodatum: cui, dum & mea reprehendit & sua commendat, falsa multa inserit: ut sunt ista, *Me usum esse pravis artibus ad obtinendū finem non bonum, Me in fratrem & in certissimam veritatem sevir, Doctrinam meam esse improbam, Me omni ex parte destitutum esse probationibus: Ea quæ à me de prædestinatione sunt proposita, esse falsa, impia, Deo ignominiosa, religioni veræ bonisq; moribus noxia: sententiam meam esse errorem manifestum, doctrinam meam continere dogmata profana, sententiam meam esse impiam & profanam; item esse venenum; per eam Deum statui ἀεὶ σωπολήπιον, injustum, simulatorem, κρυψίνεον, δοληρόν, ἀπαλεῶνα: aliud verbo profitentem, aliud animo occultentem: item sententias de prædestinatione divina meas esse placita Zenonis & Valentini: item me ambulare cum calliditate in pudendis latebris: deniq; in doctrina illa mea esse profanas vocum novitates, & antitheses falsò nominatæ scientiæ.* De quibus omnibus criminibus, an verè & jure doctrinæ meæ imputentur: vobis, reverendi fratres, & omnibus piis, æquis, intelligentibus & sacrarum literarum peritis judicium committo. Cæterum quod rogat atque obtestatur vos Bertius, *ut patrocinium veritatis* (quo vocabulo ille doctrinam suam de libero arbitrio intelligit) *contra manifestū errorem* (quo nomine intelligit doctrinam de prædestinatione meam) *suscipiatis ad avertendum convicia atq; calumnias Pontificiorum:* ea petitio tū demum meritò apud vos locum Pag. 83. 84. 85. & 86.



inveniret, si doctrina mea erronea, illius autem vera esset. Quod quum aliter se habeat: convicia illa Pontificiorum tanquam iniqua vobis sunt contemnenda, & veritas cælestis, quam ille calumniatur, indefesso studio à vobis est asserenda. Quod restat, Deum oro ut veritatem suam contra humanæ rationis sophismata in animis electorum suorum stabilire velit. Eidem gratias ago pro viribus mihi in hac mea senectute & infirmâ valetudine suppeditatis ad scriptum hoc facili labore & brevi temporis spatio conficiendum. Eidem sit gloria in sempiterna secula, Amen.

---

J O H A N N E S P I S C A T O R  
P E T R O B E R T I O S.

**H**Abes jam & tu, Petre Berti, responsionem meam ad Apologeticum tuum: in quo te causam egisse veritatis, ut in tua ad me epistola præ te fers, equidē videre non potui: quia è contrario deprehendi, te veritatem cælestem, è sacris literis à me haustam atq; depromptam, variis ac multis sophismatibus obruere, & falsitatis suspectam reddere conatum esse. Quòd addis, te id fecisse sine nominis mei insectatione: equidem non video quam causam habueris, vel adhuc habeas, insectandi nominis mei: quod confido apud omnes bonos, qui me vel ex familiari consuetudine, vel è scriptis meis norunt (quod absque arrogantia dictum sit) honestum esse. Quod me rogasti, ut ea quæ à te disferuntur, attentè expendam: id feci. Item quòd me rogas, ut in senio isto meo reipsâ ostendam, majorem esse apud me Dei, quàm mei, & veritatis pietatisque publicæ quàm propriæ existimationis rationem, id quoque feci: quippe ingenuè confessus, me hallucinatū in loco quem mihi objecisti ex mea adversus Schafmannum disputatione, non animadvertendo: item in definitione permissionis imperfecta tradenda. Sed hæc summæ rei nihil obstant. Quòd provocas ad meam conscientiam, meq; obtestaris, primum ne veritatē quam mihi de Deo insculpsit natura, sciens oppugnem: tum ne eam sacris Christi & Apostolorum vocibus everti purem: deniq; ne pertendendo diutiùs ludibrium veritatis & libertatis hostibus debere velim: responsum ad ista singula hoc habeto. Primum, me veras de Deo notitias; quas non natura, sed ipse quum naturā meam crearet, menti meæ insculpsit, quæq; post lapsum adhuc remanserunt, scientem in hac mea responsione non oppugnasse: interim tamen me  
pro



pro regula veritatis in mysterio divinæ prædestinationis, sicut & in reliquis religionis Christianæ mysteriis, non habere naturales illas notitias, sed sacras literas: ut *quæ nos possint sapientes reddere ad salutem*. Deinde, me non putare quidem, veras de Deo notitias, mentibus nostris in creatione insculptas, & post lapsum relictas, per voces Christi & Apostolorum everti: veruntamen multa vocibus illis tradita esse, quorum notitiæ à naturâ nobis insculptæ non sunt, imò quæ cum naturali rationis nostræ iudicio pugnant. Tum me confidere in Domino, constantiam quam in defendenda mea doctrina in hac responsione adhibui, non pertinaciam (ut tu malignè interpretaris) à bonis viris & æquis lectoribus iudicatum iri, nec me hoc nomine ludibriū cuiquam debiturum, sed apud multos gratiarum actionem & laudem adepturum. Quod si interim veritatis hostes meam in verbo Dei fundatam doctrinam ludibriū sibi habere pergant, id mihi erit patienter ferendum, & acquiescendum in consolatione illa à Domino nostro tradita, *Beati eritis quum conviciati fuerint vobis, & dixerint quidvis mali adversus vos, mentientes, propter me. Gaudete & exsultate: quoniam merces vestra multa erit in calis*. Quòd insuper me rogas, ut si animus sit, aliquid reponere, distinctè respondeam ad ista quorum catalogum subijcis: ex ipsâ lectione responsionis meæ deprehendere & clarè cernere poteris, me ordine ad singula abs te disputata respondisse: idq; (ut mones) *ἐν ἀπλότῃ καὶ εὐλιχειείᾳ Θεῷ*: de quo si tibi secus videbitur, satis mihi tamen erit testimonium tum in primis conscientiæ meæ, tum etiam piorum virorum, qui de spiritibus iudicare possunt. Quòd autem causam quam defendo, nominas *desperatam*: quòd me insimulas, *quasi audacter manifestissima quæq; negem: & rebus ipsis sepositis, argutiolas quasdam spinosarum & contortarum distinctionum conquirere soleam, ut verborum agmine & obscuritate vicisse videar*: item quæ de sophisticandi variâ ratione annectis: de his omnibus, an in Responsione hac mea, vel etiam in aliis scriptis meis, reperiantur: iudicium æquis lectoribus permitto. Rectè tu quidem ais, *aliud longè esse sophisticam agere, aliud Theologum*. Utrum verò tu in tuo Apologetico egeris, penes intelligentes lectores iudicium esto. Præterea quòd annum mihi ad justam meditationem concedis: intra quod tempus si ad singula non respondero distinctè, tu silentium meum in confessionem erroris sis deputaturus: scias velim, mihi tam longo tempore non fuisse opus. Posteaquam enim biduo triduo vel librum tuum perlegissem, ad responsionem scribendam me in nomine Domini accinxi: & scriptonem hanc præcisè trium hebdomadum spatio confeci. Hodie enim dum hæc scribo, quarta hebdomas ex illo die



quo scribere cœpi, incipit. Itaque ego nunc in hoc negotio defunctus sum officio meo, quod ad præcipuam illius partem attinet. Reliquum est, ut hoc meum scriptum illustribus ac generosis dominis meis, ut iussus sum, exhibeam: & expectem eorum de illius editione sententiam. Quod restat, te oro, ut si animadvertas, disputata tua rectè à me esse refutata, cedas veritati. Quam gratiam tibi det Deus omnis veritatis & pietatis author. Herbornæ, 29. Octob. stylo veteri. 1614.



S O L U T I O D U O R U M S O P H I -  
S M A T U M, Q U I B U S Q U I D A M O S T E N -  
dere conati sunt, quòd fides prædestinationem  
ad vitam, præcedat.

P R I M U M S O P H I S M A.

**V**oluntas Dei de salute & damnatione hominum in Evangelio patefacta, est totum decretum prædestinationis.

*Perseverantes in fide velle salvare, & incredulos ac impœnitentes iræ subjectos velle relinquere, est voluntas Dei de salute & damnatione hominum in Evangelio patefacta.*

*Ergo perseverantes in fide velle salvare, & incredulos ac impœnitentes iræ subjectos velle relinquere, est totum decretum prædestinationis.*

S O L U T I O.

Primum, non concluditur quæstio proposita: ut patet. Deinde medium syllogismi, nempe voluntas Dei de salute &c. triplicem sensum admittit. Potest enim intelligi vel de voluntate Dei tota, vel de omni seu qualibet, vel de quadam. Si primo sensu accipiatur, tum falsa est assumptio. Etenim Deum velle perseverantes in fide salvare, & incredulos velle relinquere, non est tota voluntas Dei de salute & damnatione hominum in Evangelio patefacta: quia præter hanc patefactæ sunt complures aliæ: puta quòd Deus pro liberâ suâ voluntate constituerit aliquos hominum creare ad salutem, alios ad damnationem. Item, quòd constituerit permittere ut omnes homines peccarent: hoc fine, ut aliquos ex illis salvaret per peccatorum remissionem, alios verò propter peccata damnaret. Item, quòd constituerit ex lapsis aliquos eligere ad salutem, alios reprobare ad damnationem. Item quòd constituerit mit-  
tere



tere Christum mediatorem, qui peccata electorum expiaret, & ita salute dignos eos redderet: reproborum verò non item, ut propter peccata justè eos damnaret. Item, quòd constituerit electis fidem donare, atq; ita eos salvare: reprobis verò fidem non dare, sed eos in sua incredulitate relinquere, atq; ita propter ipsorum peccata damnare. Si verò medium syllogismi intelligatur de voluntate Dei omni seu qualibet, tum falsa est propositio. Non enim omnis seu quælibet voluntas Dei de salute & damnatione hominum in Evangelio patefacta, est totum decretum prædestinationis, quia decretum illud multiplici voluntate Dei constat, ut modò est demonstratum. Deniq; si intelligatur medium de voluntate quâdam, tum & propositio falsa est, ut patet: & insuper syllogismus vitiosus evadit, quia ex majore particulari in prima figura nihil sequitur.

S E C U N D U M S O P H I S M A.

**S**ine quo impossibile est Deo placere, sine eo impossibile est à Deo ad salutem eligi posse.

*Sine fide impossibile est Deo placere.*

*Ergo sine fide impossibile est ad salutem eligi posse.*

S O L U T I O.

Primum, non concluditur quæstio. Deinde, si excipiatur, conclusionem sic intelligendam esse, sine fide præcedente prædestinationem impossibile est ad salutem eligi posse, tum conclusio ista non sequitur ex præmissis propter homonymiam medii. Nam in propositione majore verba illa *Sine eo* intelligenda sunt de re in salvandis vi prædestinationis atq; electionis efficienda: non autem de re prædestinationem antecedente: secus erit falsa. Et pari ratione concludi posset, quòd bona opera prædestinationem ad vitam præcedant. Etenim de illis quoque verè affirmatur, quòd sine eis impossibile sit Deo placere. Summa, impossibile est ad salutem eligi posse sine fide tanquam salutis causâ, electionis verò effectu: non autem tanquam electionis causâ impulsivâ.

F I N I S.









3 A 9411



